



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1705

Titvlvs XLI. De Celebratione Missarum, Sacramento Eucharistiæ & Officijs
Divinis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62668](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62668)

in solo altari peragatur, Ecclesie pollutionem ad ipsius Altaria porrigi, est necesse. Alia ratio est Execrationis, quae principaliter afficit solos parietes aut altare; ideoque, sicut Altaris mensa seu lapis superior ab inferiori seu basi removeri, confringi, diminui; ac proinde ejus consecratio tolli potest, Ecclesia illasâ: sic vicissim istius parietum crusta & cum ista Ecclesiae consecratio, Altari illasô,

tollî; & propterea Ecclesia sine Altaribus & hæc sine illa execrari valent. Cujus ulterior ratio est; quia Altare non est quid accessorium ad Ecclesiam: sed aliquid non solum ab ista distinctum, sed principale; cum in eo offeratur incruentum Sacrificium, ad quod Ecclesia cum suis ornamentis ordinatur, ut rectè advertunt Sotus in 4. dist. 13. art. 3. & Barbosa in c. 1. ad hanc Rubr. n. 4.



TITULUS XLI.

De Celebratione Missarum, Sacramento Eucharistiae & aliis Officiis Divinis.

Ecclēsiæ & Altaria per Consecrationem deputantur ad Celebrationem Missæ, seu consecrationem sanctissimi Eucharistiae Sacramenti, ceteraque Officia Divina; quorum succinctæ explicationi anam præsentî Rubricæ subjecti textus præbent.

ARTICULUS I.

De sanctissimo Missæ Sacrificio.

SUMMARIUM.

1. Missa est incruentum Sacrificium:
2. Et in hoc Deo oblata hostia, Eucharistia.
3. Materia hujus Sacramenti sunt Panis triticeus;
4. Et vinum de vite;
5. Cui modicum aquæ;
6. Ex Ecclesiastico, non Divino præcepto admiscetur,
7. Ad significandum sanguinem & aquam, ex Christi latere profluentem.
8. Forma sunt verba, Hoc est Corpus meum,
9. Et, Hic est calix Sanguinis mei.
10. Minister est solus Sacerdos:
11. Non laicus aut alius clericus, etiam Diaconus:
12. Etsi ab isto aliquando Eucharistiâ refici laicus possit.
13. Eucharistia sumenda est præparatione maximâ,
14. Et à jejunio;
15. Ut cibi potusque sumptio etiam minima excludatur:
16. Tribus casibus exceptis.
17. In mortis articulo constitutus eâ refici sepius potest.
18. Etiam eadem infirmitate durante.

N o o o o

19. Sacri

19. *Sacrificium Missæ in die tantum semel,*
20. *Tribus casibus exceptis:*
21. *Tempore antemeridiano,*
22. *In loco consecrato vel saltem benedicto,*
23. *Et super Altari offerendum,*
24. *Ministris, vasis sacris &c. adhibitis, est.*

1. **N**omine Missæ, non à Missæ Hebræo, sed à Latiali verbo *Mitto*, sive à *Missione* vel *Dimissione* Catechumenorū ante Consecrationem, imò ipsam Oblationem: vel totius populi Christiani sub Sacrificii finem à Sacerdote vel Diacono, sic dictæ, teste Bellarmino *Lib. 1. de Missa cap. 1.* modernò, imò prisco & sub ipsum nascentis Ecclesiæ primordium jam receptò usu intelligitur Incruentum Sacrificium, quò per Consecrationem conficitur Eucharistia; hac enim ejus vocis significatione S. Clemens, *In aliis*, inquit, *locis sacrificare & Missas celebrare non licet.* Quò sensu eadem voce usi sunt SS. Ecclesiæ DD. ac PP. Ambrosius *Lib. 3. Epist. 73.* & Augustinus *de Tempore, Serm. 92.* sicut & Novissimè S. Synodus Tridentina *Seff. 22. cap. 2. de Sacrif. Missæ.*

2. Eucharistia nomine venit ipsa Incruenta hostia, in sanctissimo illo Sacrificio oblata, sive Christus sub specie panis & vini: quorum substantia vi Consecrationis in ipsius corpus & sanguinem convertitur, & Patri æterno offertur, cum ab ipsomet Christo tanquam offerente principali, tum verò à Sacerdotibus tanquam ejus ministris, ut declarat Trident. *Seff. cit. cap. 1. & 2.* & ad mentem D. Thomæ 3. p. 9. 83. art. 1. latè explicant Bellarminus *cit. Lib. 1. cap. 4.* & Suarez 3. p. *disp. 77. art. 1.* Eucharistia autem nomen, quod apud Græcos *Gratiarum*

actionem denotat, sancta & immaculata illa Hostia obtinuit; quò Deo in gratiarum actionem, vel cum ista offeratur et ipsa Christi institutione, *Math. cap. 26. v. 27. Marc. cap. 14. v. 27. & Lucæ cap. 22. v. 19.* ut cum *cit. Suarez disp. 58. §. 1.* advertit Laiman *Lib. 5. Tract. 3. cap. 1. num. 6.*

Materia, ex qua in SS. sacrificio Eucharistia Sacramentum conficitur, est Panis & Vinum, secundum institutionem Christi in Evangelio *loc. cit.* perpetuam praxin & Traditionem Ecclesiæ, & definitionem Generalium Conciliorum, Lateranensis c. 1. *de Summa Trinit. Florent. in Decreto Eugenii §. Tertium, & Trident. cap. 1. cit.*

Panis quidem Triticeus, §. *Tertium cit.* sive ex tritici farina, aqua naturali sive elementari (non lacte, melle, aqua rosacea vel simili liquore) subacta & ignis calore tosta. Tritici autem nomen hic sumendum est latè pro omni generis frumenti sive grani, quod ad consecrandum panem pro vita hominis communitè solet adhiberi, ut præter triticum specificè acceptum, vulgò *Walggen*; quod adhiberi solet ac debet, etiam hinc una sive far, vulgò *Dinkel Korn* oder *Stett* & filigo, vulgò *Nocken* oder *Korn*; nec etiam hordeum, avena, milium, oriza, castaneæ, glandes; quia ex his confectus communi usu non panis simpliciter, sed cum addito hordeaceus, avenaceus &c. vocari solet, Laiman *Tract. cit. cap. 2. n. 2.* & Palao *Tract. 11. disp. Uotic. p. 4. num. 2.*

Vinum autem esse debet vite, §. *Tertium cit.* ex uvis jam maturis expressum, *can. Cum omne 7. disp. 2. de Consec.* ut colligitur ex institutione & significatione Sacramenti, exigentis; ut materia ejus sit potus: cujus rationem non habent vuz; cum in earum acinis vinum non tan-

non tanquam in vase, sed tanquam pars in toto contineatur: neque aptum sit, ut aqua misceatur, *citt.* Suarez *disp.* 45. f. 1. Laiman *n.* 5. & Palao *n.* 7. Mustum licet valide consecratur, ad sacrificium tamen, sicut & vinum congelatum illicitè adhibetur; quòd, licet utrumque substantialiter vinum, & hoc per se potabile sit, illud tamen adhuc fœculentum, & hoc congelatione valde notabiliter sit alteratum. Alia ratio est agrestis, sive liquoris expressi ex uvis immaturis, & acetici; cum enim illa vini naturam nondum sit consecuta: istud autem eam jam exuerit, & in aliam substantiam transmutatum sit, ad consecrationem apta materia non erunt, *citt.* Laiman *n.* 6. & Palao *à n.* 8.

5. Vino consecrando ex perpetua Traditione Ecclesiæ admiscendum est pauxillum aquæ, *6. Tertium cit.* & Trident. *Sess.* 22. *cap.* 7. non quidem ad valorem Sacramenti aut ex Divino, sed ex Ecclesiastico duntaxat præcepto, ut *§. 5. cap. cit.* asseritur: eamque ob causam Sacerdos, si primam post consecrationem calici aquam non assulam fuisse, advertat, eam postea affundere prohibetur Missalis Romani *cap. 4. de Defectu Vini*, manifestò indicio, Consecrationis sine aqua validè peractæ, S. Thomas *3. p. q. 83. art. 6.* Bellarm. *de Eucharist. cap. 20.* & Suarez *cit. disp.* 45. f. 2.

6. Neque admixtionem aquæ ex Divino præcepto faciendam, & sine ea Sacramentum hoc non perfici, traditum est à Concilio Carthaginensi IV. *can. 24.* in Sacramentis corporis & sanguinis aliud, quam ipse Dominus instituit, non offerendum, decernente: aut à Julio Papa, calicem Domini aquam solam & vinum solum esse posse, negante *can. Cum omne 7. disp. 2. de Consec.* quia imprimis *citt. can. 24.* solum panem & vinum cum aqua, & non

cum alio aliquo liquore mixtum offerendum esse, decernitur. Deinde ex eo; quòd Dominus vinum aqua mixtum adhibuerit, vinum sine ista invalidè consecrari, non rectè arguitur: sicut ex eo; quòd adhibuerit panem azymum, hunc ad valorem exigi & fermentatum non sufficere, perperam infertur; cum, sicut non solum azymus, sed fermentatus quoque verus & usualis panis, sic purum quoque & non id tantum, cui aqua admisceatur, verus & usualis sit vini potus: licet vinum sine aqua non convenienter & salvâ plenitudine mysticæ significationis consecratur, ut cum *citt.* S. Thoma *q. 74. art. 7. ad 1.* advertit Laiman *cit. cap. 2. n. 7.* Quòd etiam solò sensu vinum sine aqua Calix Domini, non simpliciter, sed tantum cum ejus significationis plenitudine esse, à Papa negatur *can. Cum omne cit.* ut in *c. Perniciosus 13. hæc Rubr.* notat Gonzalez *n. 7.* Demum; quia ea aquæ admixtio *Præceptum, Institutio & Traditio Domini* à PP. aliquando vocatur latè; quòd, etsi de ea non extet Dominicum mandatum, Domini tamen facti exemplum habemus: quò sensu etiam lotio pedum *Traditio Domini* à S. Ambrosio *Lib. de Spiritu sancto, in Proemio* nuncupatur, *citt.* Gonzalez *n. 3. in fine.* & Palao *p. 5. n. 5.*

Ejus autem admixtionis mystica significatio secundum Innocentium III. *c. Cum Maribus 6. §. Quævisi*, est sanguis & aqua ex latere Christi profluens, & symbolicè referens plenam ablutionem peccatorum per sanguinem & merita Christi: & secundum Julium Papam adunatio populi cum Christo, sive fidelium credentium in Christum cum eo copulatio, *can. Cum omne cit.* quorum ille per aquam; iste sive Christus ob virtutis & Divinitatis suæ excellentiam, per vinum aptè exprimitur, *citt.* S. Thomas *art. 6.* Palao *n. 1.* & Gonzalez *n. 1.*

N a n n n a Forms

8. Forma hujus Sacramenti sunt verba, quorum virtute substantia panis in Corpus Christi, & substantia vini in ejus Sanguinem convertitur, scilicet, *Hoc est enim corpus meum*, & *Hic est enim calix sanguinis mei Novi & aeterni Testamenti, mysterium Fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Ex quibus essentiam formæ Consecrationis constituunt sola verba, *hoc est Corpus meum*, & *Hic est calix Sanguinis mei*: quæ posteriora verba eundem sensum habent, quem verba, *Hic est sanguis meus*, quæ leguntur apud Evangelistas, Matth. cap. 26. v. 28. & Marc. cap. 14. v. 24. Ratio est; quia, iis verbis solis prolatis, Corporis & Sanguinis Christi præsentia, ac proinde substantiæ panis & vini in illud & hunc conversio facta plenè & sufficienter significatur. Quare non solum dicitur *Enim*, sed etiam verba, *Novi & aeterni Testamenti, Mysterium Fidei &c.* & multò magis verba, *Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis*, ad essentiam Formæ & hujus Sacramenti necessitatem non pertinent, ut ex communi aliorum sensu docent *cit.* Suarez disp. 59. § 60. utrobique s. 1. Coninck *Questi* 78. dub. 2. & 3. utrobique dub. 2. Laiman *cit.* *Traict.* 4. cap. 3. n. 1. § 3. & Palaop. 7. n. 1. § 3. licet ipsa quoque in Consecratione sine gravi peccato nequeant omitti; quòd ea in Canone Missæ ab Ecclesia semper observata: imò ab ipso Christo Domino, saltem quoad sensum adhibita fuisse, partim ex textu Evangelico: partim ex Ecclesiæ Traditione habeatur, teste Innocentio III. c. *Cùm Martha* 6. pr. V. *Quæsvisti* *cit.* Suarez s. 3.
10. Ministri Venerabilis hujus Sacramenti, quoad ejus consecrationem & SS. Missæ sacrificii celebrationem, ex Divina institutione est solus Sacerdos: quod Fidei dogma, & definitum est à Generalibus

Conciliis Niceno I. *can. 14.* Lateranensis relato c. 1. *de Summa Trinit.* Florent. s. *Tertium* *cit.* & Tridentino *Sess. 22. de Sacrif. Missæ* cap. 1. § *can. 2.* Quoad dispensationem, etsi nemo aliis à sacerdote ejus Minister ex officio esse queat, secundum Novissimæ illius S. Synodi decretum *Sess. 23. cap. 8.* Concilii Rhecondæ, relatum *can. Pervenit* 28. *diff. 2. de Consec.* & Apostolicum illud, *Sic ut existeret homo, ut ministros Christi & dispensaret mysterium Dei*, 1. Corinth. cap. 4. v. 1. Episcopi tamen & urgente gravis (hic tempore ob Sacerdotum copiam rarior occurrentis) necessitatis calu etià ex Presbyteri delegatione ejus minister esse, & fidelibus ad sacram Synaxim accedentibus sacras hostias distribuere etiam Diaconus potest, ut colligitur ex S. Clementis Lib. 8. *Constitut.* cap. 28. *cit.* Concilii Niceni *can. 14.* Carthag. IV. *can. 58.* & ipso etiam Tridentino *Sess. 21. cap. 1.* expressè declarante, in dispensatione Sacramentorum Ecclesiæ facultatem relictam esse, *Salvâ illorum substantiâ, statendi & locorum varietate & suscipientium utilitate, quòd sibi visum fuerit expedire.*

Laico, imò etiam clerico cuiuscunque in Minoribus & Subdiaconatus sacro Ordine constituto, sacri hoc salutis pignus, extra casum extreme necessitatis fidelibus ministrandi facultas ab ullo Prælo Populi inferiore committi, ex communi DD. sententia nequit, & diserte prohibetur *can. Pervenit* *cit.* & allegati Concilii Niceni I. *can. 38.* cui

Non obstat Consecratio Ecclesiæ primitivæ, laicis concedentis; ut à Sacerdotibus acceptum SS. Domini Corpus, propriis manibus sumendum domum deferrent, apud Sozomenum. *Historia Ecclesiæ* Lib. 8. cap. 3. & Nicephorum *episcopus* *Historia* Lib. 13. cap. 7. cum; quia illa & SS.

& SS. hoc Sacramentum extra Missæ sacrificium sibi ministrandi Consuetudo cum tempore ex gravibus causis omnino sublata est: tum verò; quia, sicut Apostolorum, calicem à Christo consecratum inter se dividendum actio, sic etiam illa laicorum delatio, SS. Sacramenti à Sacerdotibus ministrati applicatio receptioque fuit, ut observant & rem hanc declarant *citt. Suarez disp. 72. s. 1. & Palao p. 17. n. 7.* De quo quidquid sit, ex prisco illo Ecclesiæ more casu, quò infirmus morti proximus SS. Eucharistiæ Sacramento refici & muniri peteret, & Sacerdos, Diaconus vel alius Clericus non adesset, scandalique periculum abesset, eam illi ministrari à laico posse, cum *citt. DD. sustinent Coninck disp. 82. art. 3. n. 23. & Laiman. cap. 7. n. 6. contra Henriquez Lib. 8. cap. 54. & Valquez disp. 219. cap. 1.*

13. Porro Ministro summa sollicitudine curandum est; ut ad Sacrum hoc ministerium obeundum & tremendum Missæ sacrificium celebrandum cum omni Religionis cultu ac veneratione animique puritate maxima accedat: ut S. Tridentina Synodus salubriter monet *cit. Sess. 22. in Decreto de Observand. in Missa. & pluribus explicatum est Tit. 1. à n. 29.*

14. Præterea Sacerdos sacrificaturus, & Fideles SS. hoc Sacramentum sumpturi esse debent jejuni, ex decretis Conciliorum Carthag. III. *can. 29. can. Sacramenta 48. disp. 1. de Consec. Matilcon. II. can. 6. Bracharensis I. can. 16. Aluifodor. III. can. 29. Mogunt. IV. can. 33. & aliorum à cit. Suarez disp. 68. s. 3. & Gonzalez in e. Ex parte 50. n. 1. relatorum. Ratio id statuendi fuit; ut ob honorem & reverentiam tanti Mysterii in hominis Christiani os prius SS. corpus Domini, quam alii cibi, intraret: & quàm procul posset, removeretur periculum vomitûs,*

qui hominum ante ejus susceptionem cibo potuque se onerantium intemperantiâ aliquando contingerat, Gonzalez *in e. cit. n. 5.*

Neque laudatorum Conciliorum decreta convellit exemplum Christi Domini, panem & vinum post Cœnam consecrantis, & SS. Corpus ac Sanguinem suum discipulis sumendum dantis: quod primis Ecclesiæ seculis in quibusdam locis observatum, & Feria V. in Cœna Domini fidelium communionem vespertino tempore celebratam, patet ex *citt. Concil. Carthag. can. 29. Matilcon. can. 6. & Bracharensi II. can. 10.* quia à Christo id factum est secundum Legem veterem: Quam vespertinâ illâ Cœnâ & Morte sua consummans Figuræ veteris novi Sacrificii veritatem substituit, teste S. Isidoro *Lib. 1. de Eccles. Offic. cap. 18.* relicta Apostolis potestate, cum aliis ritibus accidentalibus etiam tempus ejus excellentiæ conveniens ordinandi. Unde Ordinatione & usu Apostolicò introductum est; ut Missæ sacrificium & Eucharistiæ sumptio manè, aut saltem à jejuniis perageretur: à qua Ordinatione recessum non est in Ecclesiis, in quibus Missæ & Communiones vespertinæ in usu erant; quia ita receptæ erant diebus jejuniorum, quibus ista à fidelibus protraherentur usque ad vesperam: quâ & Missâ officiisque Divinis jam finitis, aliorum ciborum sumptione solvebantur, *can. Solent 49. pr. disp. 1. de Consecrat. Micrologus de Eccles. Offic. cap. 49.*

Id autem jejunium ex obligatione esse debet Naturale & perfectum; ut sacerdos Missam celebraturus & fideles sacrâ Eucharistiâ reficiendi, antequam ad Altare accedant, eò die à media nocte inchoatâ, ab omni etiam minima cibi potusque, per os accipiendi & per propriam ac vitalem comedendi bibendivè actio-

N n n n 3 nem in

nem in stomachum traiciendi, sumptione abstineant, ut colligitur ex *can. Nihil. 16. V. Nullus 7. q. 1. can. Sacramenta 49. disp. 1. can. Liquido 54. pr. disp. 2. utrobique de Consec. 56. Ex parte 5. hanc Rubr. & cum D. Thoma 3. p. q. 8. art. 8. ad 4. passim tradunt cæteri T. T. & Canonista.*

Quantumvis autem Missæ celebrationem & fidelium Communionem cuiuscunque rei, cibi potisque rationem habentis, etiam minimæ & grani juniperi, masticis, sacchari, aut guttæ vini, olei vel alterius liquoris, etiam medicinæ & quacunque alia ex causa facta sumptio & in stomachum trajectio impediatur: eis tamen non obstat sanguis aliisque humor ex naribus aut capite defluens aut in ablutione oris salivæ admixta guttula aquæ, vel particula cibi à pridiana cæna dentibus inhærens: imò etiam salivæ admixtæ guttula jusculi degustati & casu in stomachum trajectæ, *citr. Suarez disp. 68. f. 4. §. Terrio, Laiman cap. 6. n. 18. & Palao p. 15. n. 8.*

16. Non desunt tamen casus & causæ, ex quibus Sacrificatio, & Sacramenti etiam Eucharistiæ sumptio Jure permittitur est non jejunis.

Primus est necessitas Sacrificii perficiendi; quòd pro consecratione calicis locò vini abhibita & sumpta jam sit aqua, vel post communionem & ablutionem in patena vel corporali reperiantur particule consecratæ: si sacerdos post consecrationem jam peractam cibi potisque antè sumpti recorderetur: vel istius quidem recorderetur antè, sed absque gravi scandalo consecrationem & communionem intermittere non possit: si alius sacerdos, post Canonè cæptum deficiens, Missam profequi non valeat, & qui eam perficiat sacerdos jejunos, non adsit. *citr. Suarez f. 5. & Laiman. cap. 6. n. 21.*

Secundus casus est reverentia venerabilis Sacramenti, sive periculum sacrilegæ

trafractionis & injuriæ ei ab infidelibus, hæreticis &c. inferendæ: quò id à non jejuno, etiam laico, cum timore & reverentia sumi potest, *citr. Laiman. n. 22. & Palao p. 15. n. 17.*

Tertius & præcipuus est articulus seu probabile periculum mortis; in eo enim verisimiliter constitutus, si jejunus commodè nequeat, sacro Viaticò refici post cibum jam sumptum potest, *can. De his verò 26. q. 6. can. Presbyter 92. disp. 2. de Consec. & Concilii Constantiensis Sess. 3. quæ Eucharistiæ sumptio non-jejuno permittitur In casu infirmitatis aut alterius necessitatis à Jure vel Ecclesiæ concessio vel admissio. Ratio est; quia Eucharistiæ sumenda præceptum Divinum, eo tempore prævalenter urgens, prævalet Ecclesiastico de jejuniis observando ante communionem, *citr. S. Thomas 3. p. q. 80. art. 1. & Suarez disp. 68. q. 5. Ubi**

Dubium est, an infirmus sacro Viaticò refici sapienter possit. Et quidem, si mortis periculo, ratione cuius sacro Viaticò munitus est, jam sublatò necesse novum, infirmum eodem durante, si jejunus nequeat, denno refici non jejunum posse, satis convenit inter DD. At tamen, eadè infirmitate durante, sacra communio non jejuniis sumptis permittitur, dubitandi ratio minime levis est; quòd generali Ecclesiæ præcepto, ne post cibum vel potus sumptionem sacrificetur aut Eucharistiæ ministraretur, casus articuli seu periculi mortis ex ea solum ratione exceptus est; *Ne infirmus necessariò vitæ seu Viaticò defraudetur, can. De his verò 26. q. 6. & Ne sine communionem moriatur, can. Presbyter 92. Quæ ratio cessat in eo, qui sacro Viaticò semel est refectus, cum talis non decedat sine Communionem, & necessariò vitæ Viaticò non defraudetur. Quæ ratione ductus Vasquez, edem in*

dem infirmitate durante, sacra Eucharistia sumptionem non-jejuno semel duntaxat licitam, censet *disp. 21. cap. 4. d. 18. n. 37.* Verum alii, eam rationem non esse adaequatam, & sacrum illud morientium solatium praesidiumque non-jejunis indultum, ajunt, propter maximam ejus necessitatem, ad moribundi in extremo vitae articulo confortationem & unionem animae cum Deo, Creatore ac Redemptore suo, conservandam firmandamq; & facilius superandas tentationes ac suggestiones diaboli, nunc maximè insidiantis & querentis, quem devoret. Unde sacrae Communionis iterationem moribundo non jejuno eo saltem casu, quò post Viaticum acceptum in peccatum mortale incidisset, Armilla *V. Communio n. 18.* & Tabiena *V. Eodem n. 54.* & extra hunc casum post sex septemve aut octo dies, Diana *p. 1. tract. 14. resol. 57.* & Bonacina *de Sacram. disp. 4. q. 6. p. 2. n. 23.* & post triduum duntaxat à Viatici sumptione lapsum permittit, existimat Ludov. à S. Joan. apud Quintanaduenn. *Singul. 14. n. 3.* Quin imò frequentiori & quotidianè etiam sanctissimi Sacramenti sumptioni antè assuetò toties, quoties jejunos extra infirmitatem communicare solitus erat; ac proinde quotidie sacrificare solito, si ejus magno desiderio teneretur & sumere jejunos non posset, sanctissimum Angelorum cibum non jejuno quotidie ministrari posse, cum *cit. Armilla & Saà V. Eucharistia n. 5. & 34.* concedunt Laiman. *cit. cap. 6. n. 20.* Hurtadus *de Eucharist. disp. 9. diff. 16. in fine.* Palao *cit. p. 15. n. 14.* Dicastillo *de Euch. disp. 9. n. 34.* Gobat *Experient. Tract. 4. n. 317.* Rationem reddunt; quòd tam relatus Concilii, quam alii textus à communi lege, ad Eucharistia sumptionem jejunium exposcente, casum infirmitatis, cum probabili mortis periculo conjuncta, ex-

cipiant sine restrictione ad vicem tantum unam; atque idcirco interpretationem recipiant à communi sensu Ecclesiae & consuetudine fidelium doctorum ac timoratorum: qui ad extremum vitae articulum deducti, cum jejuni non possunt, non-jejuni communicare, Superioribus suis non contradicentibus, sapius & aliquando quotidie solent. Quae istorum doctrina non solum pia, sed tuta quoque; ejusque praxi nulla irreverentia venerabili Sacramento inferri videtur praefertim, si naturalis jejunii defectus infirmi singulari devotione & reverentia suppleatur.

Sacrificare Sacerdotes, licet ob eorum paucitatem olim eodem die, & praefertim majoribus anni Festivitatibus, pluries potuerint, *can. Relatum 11. disp. 2. de Consec. & Leo Papa septem vel novem Missarum solennia celebrasse*, perhibetur à Strabone *de Reb. Eccles. cap. 22.* cum tempore tamen, numerò presbyterorum invalescente & fervore remittente cautum est; ut singulis diebus semel duntaxat singuli sacrificarent, *can. Sufficit 52. disp. 1. de Consec. & c. Referente 12. hanc Rubr. praeterquam in solennitate Natalis Domini: quae trium Missarum celebratio cuivis Sacerdoti permisa est, c. Consuluisi 3. jam à Telesphoro Romanae Sedis Episcopo IX. can. Noctè 47. junctà Glosa V. Eodem disp. cit. teste cit. Strabone cap. 21. ad denotandos totidem Mundi status & triplicem Legem: quarum prima Naturae, à Mundi creatione ad Moysen: altera scripta ab isto ad Christi mortem usque perduravit: tertia Gratiae, à Christi Nativitate inchoata & morte ad perfectionem perducta, usque ad mundi consummationem permanebit, Hugo de S. Viore *Lib. 3. de Spectal. Miss. observat. cap. 5.* Aliam & aliorum DD. satis frequenti calculò appro-*

19

20

batam

batam ejus Missarum ternarii rationem & significationem reddit *cit.* Doctor Angelicus *q. 73. art. 2. ad 2.* ubi eum introductum, ait, ad celebrandam Christi triplicem Nativitatem. Primam Æternam, quâ verbum à Patre generatum: alteram Temporaneam, quâ id Caro factum & ex B. V. Maria natum habitavit in nobis: Tertiam Spiritualem, quâ tanquam Lucifer nascitur in cordibus justorum, qui ab eo viva fide illuminantur.

Præter Domini Natalem SS. Missæ sacrificii iteratio Sacerdoti jejuno secundum communem TT. doctrinam licita est casu necessitatis, *c. Consuluisse 3.* quò post sacram hostiam (ante ablutionem tamen) sumptam de infirmo sacro Viatico muniendo admonetur: & quæ isti ministraretur, alia consecrata hostia non adest; tali enim casu, si à sumptione ablutionis ablineat, novum sacrificium inchoare & perficere potest. Quod aliquando etiam licet die Festivo; ne Parochiarum, quas Parochus regit, alterius populus, aliò sacerdote deficiente, Missa privetur, Navarrus *ad hanc Rubr. Consil. 2.* Azor *p. 1. Instit. Lib. 10. cap. 24. q. 6. §.* Quares *cit.* Suarez *disp. 80. f. 3.* Laiman. *Lib. 5. Tract. 5. cap. 4. n. 6.* Palao *Tract. 22. disp. unic. p. 7. n. 8.* & Gonzalez *in c. Consuluisse cit. n. 2.*

21. Certa hora Missæ celebrationi à Jure non determinata: usu tamen receptum est; ut extra Natalem Domini regulariter ante auroræ initium non peragatur, & post meridiem non inchoetur, seclusò privilegiò: vi cujus indulti Regularibus isti de Superiorum suorum licentiâ unâ horâ ante auroram & post meridiem sacrificare possunt, ut habetur in Compendio Privileg. S. J. *V. Missa §. 3.* & advertit Rodriguez *Tom. 1. Regul. q. 43. art. 1.* Idem faciendi licentiam dare ex justa causa, v.g. itineris commodè peragendi,

& multò magis ipsi tali potestate ut Episcopi possunt, ex communi DD. sententiâ apud Laiman. *Tract. cit. cap. 5. n. 3.* In Germaniâ etiam nostra Civitatibus tempore hyemali Missa tribus quatuorve horis ante solis ortum inchoari passim solent; ut operarii & famuli, priusquam ad opus & laborem se conferant, Missam audire possint, ut cum Navarrot *Manual. cap. 25. n. 85. cit. Laiman. cit. cap. 4. n. 3.* observat.

Locus, in quo SS. Missa sacrificium Deo offertur, jure communi & ordinariè esse debet ab Episcopo consecratus, vel saltem benedictus, secundum *can. dist. 10. can. Nullus 14. dist. 1. de Consecr. & Trident. Sess. 22. in Decreto de Olym. in Missa*, ubi id extra ejusmodi locum celebrari, diserte prohibetur, exceptis casibus ad Rubricam præcedentem à nobis claratis.

Ad ejusdem SS. sacrificii celebratiõnem necessarium est, ut fiat super altare, secundum Concilium Hippocense *can. 6.* Agathense *can. Alania p. 6. §. 31. dist. 1. cit. relata, Episcopale can. 26. §. 27.* apud Ironem *p. 3. cap. 30. adeò;* ut, qui sine eo id offerre præsumit, gravissimò sacrilegii reatu teneatur, si enim antiquæ Legis, imò propheta vanaque Gentilium Sacrificia atque expoliabant, hæc multò magis necessaria erit ad veri Divinique sacrificii celebrationem, Bellarminus *Tom. 2. Lib. 1. de Missa & ap. dist. 1. cit. Suarez disp. 81. f. 5. & Palao disp. cit. p. 9. n. 1.*

Præterea adhibendus ad hoc sacrificium est Minister, vasa & vestimenta ritusque sacri, præscripti in Rubrica Missalis, & pluribus explicati à *cit. Laiman. Tract. 5. cap. 6. à n. 11.* Palao *disp. cit. p. 10. an. 1.* & præsertim à Jordano Lucubrat, *Lib. 4. tit. 1. an. 180.* atque aliis.

ARTICULUS II.

De sacrificandi Obligatione & Sacrificii Applicatione.

SUMMARIUM.

25. Missa celebratio quotidiana laudabilis :
26. Ratione Ordinis sacerdoti cuius ali-quoties,
27. Et variis diebus Parochia præcepta est.
28. Ecclesiarum Prælati eius frequen- tia commendatur.
29. Sacrificii fructus vel Generalis, vel Personalis,
30. Vel inter utrumque Medius est.
31. Pro Medii applicatione stipendium permittitur celebranti,
32. Etiam beneficiato, ad Missas ratione beneficii non obligato.
33. Ad has obligato illud generaliter negantium Opinio,
34. Et istius fundamenta.
35. Opinio DD. idem non permittentium Parocho.
36. Stipendium licitè recipitur, cum id permittit Missæ fundator Sc.
37. Non etiam, cum iste Missas pro se offerri,
38. Aut eas celebrari simpliciter præcipit.
39. Parochi sacrificia offerre aliquoties tenentur pro parochianis :
40. Regulariter pro aliis, stipendiò acceptò, possunt.
41. Vis & qui pro loci Cultu, Commoditate audientium Sc. sacrificare tenentur.
42. Quod asserentium verior Opinio ratione,

43. Et contra eam deducitorum solutione roboratur.
44. Pro una Missa non permittuntur duo stipendia :
45. Licet utrumque tenue sit.
46. Jusso majus recipiens, partem retinere, & partem duntaxat celebranti dare non potest.

Sacrificii Missæ celebratio quotidiana, etsi laudabilis sanctaque & piò multorum usu approbata sit, sacerdotibus tamen ratione Ordinis assumpti ullà, tam humanà quàm Divinà, lege præcepta non est.

Quin magni nominis DD, cum S. Bonaventura in 4. dist. 12. p. 2. art. 2. & Cajetano p. 3. q. 82. art. 1. eos ratione Ordinis ullà sacrificandi obligatione teneri, negarunt; quòd id ullò Jure non sit expressum. At communius & verius alii cum S. Thoma 3. p. q. 82. art. 10. Navarro Manual. cap. 25. n. 88. Suarez Tom. 3. in 3. p. disp. 80. s. 1. & Vasquez disp. 272. cap. 1. quemlibet sacerdotem ratione Ordinis & officii Sacerdotalis assumpti ad SS. illud sacrificium aliquando offerendum graviter obligari, docent & colligunt ex verbis *Hoc facite in meam commemorationem*, Lucæ cap. 22. v. 19. quibus Apostolis eorumque in Sacerdotio successoribus sacrificii offerendi præceptum impositum, declarat S. Synodus Trident. Sess. 22. cap. 1. de Sacrif. Missæ, quæ propterea curam; ut sacerdotes etiam non curati diebus saltem Dominicis ac Festis solennioribus Missas celebrent, Episcopis imposuit Sess. 23. cap. 14. de Reform. Jure etiam antiquiori, c. Dolentes 9. ab Innocentio III. inter sui temporis abusus refertur: & reprehenduntur sacerdotes, qui in anno vix quater sacrificabant, argumentò satis locutè, eos ad hoc aliquando obligari: quod a-

O o o o o

quod a-

quod agnovit S. Ambrosius à D. Thoma
art. cit. relatus, dum in quadam Ora-
tione, *Grave*, inquit, *est, quoddam
mensam tuam mundo corde & manibus
non venimus: sed gravius est, si dum
peccata meruimus, etiam sacrificium non
reddamus.* Eandem sacerdotum obliga-
tionem Conciliorum, Rhemensis, Rotho-
magenfis & Agathensis decretis firmat
Gonzalez in c. *Dolentes cit. n. 2.*

27. Quantumvis etiam ratione Ordinis
sacrificandi obligatio non immineret,
plurimi tamen Sacerdotes eam tenerentur
ratione beneficii & officii Ecclesiastici, ad
Missarum celebrationem adstringentis ex
sua institutione: uti etiam ratione pa-
rochiarum, aliorumque beneficiorum cu-
ratorum; ista enim obrinentes per se vel
alios Missas celebrare ex officio tenentur
omnibus diebus, quibus ad earum audien-
tiam populus Parochianus præcepto
Ecclesiastico obligatur, ex sententia Na-
varri *cit. cap. 25. n. 135. Soti in 4. disp.
23. q. 9. & art. 2. citz. Suarez disp. 89. s. 1.
Laiman Lib. 5. tract. 5. cap. 3. n. 2.* & alio-
rum TT. hanc obligationem desumentium ex
Trident. verbis, *Si autem curam habuerint
animarum, tam frequenter celebrent, ut
suo muneri satisfaciant, Sess. 23. cap. 14.
de Reformat.* Ratio est; quia parochia-
rum & similium curatorum officium est,
subditis parochianis ministrare ea, quæ
ipsis necessaria & conducentia sunt ad sa-
lutem; cum, ut illis spiritualia mini-
strent, percipiant corporalia: nimirum
decimas, oblationes, aliasve obventiones
parochiales. Unde, si populus ita nu-
merosus sit, ut Dominicis, festisque die-
bus ejusdem Missæ sacrificio simul affi-
stere omnes non possint, parochos ad
duas vel plures Missas aliorum Sacerdo-
tum auxilio habendas obligant *cit. Lai-
man. n. 2. §. Adde, & Palao Tract. 22.
disp. unic. p. 13. n. 4. & §. saltem, si re-*

ditus parochiales ad congrua stipendia sua
assignanda sufficere, Episcopo loci Ordina-
rio videantur.

Episcopis Missæ celebratio (vel au-
ditio) quotidiana, licet tanquam res
maximè decens multum commendetur, *fin.
de Privileg. in 6.* nullà tamen legitur
sed id potissimum tam ipsi ceterisque
Ordinis Episcopalis, quam Collegiarum
& Conventualium Ecclesiarum Præ-
latis præceptum est; ut in Ecclesiis suis
quotidie saltem unam Missam celebra-
rent, c. *Cum creatura* t. ubi etiam
monetur, ob Anniversaria detrahen-
dorum festi ac feriæ occurrentis Missam non
omittendam.

Dubium nunc primum est, an præ
celebratione Missæ sive applicatione præ-
dicti sacrificii exigi & accipi valeat pecu-
nia aliæve res temporales. Cujus Resolu-
tio ut magis expedita & perspicua sit, de
de cujus fructus applicatione procedat,
planius constat, præmittere jura à Sco-
to *Quodlib. art. 2. & 3. tractum & à
Soto Lib. 7. de Justitia q. 2. art. 1. ubi
Suarez disp. 79. s. 9. §. Secundo, Arzo q.
1. Institut. lib. 10. cap. 20. q. 4. in fine, &
Bonacina disp. 4. de Sacramento q. 1. p.
4. n. 2.* & aliis TT. receptam fructus
Missæ partitionem in Generalem, Spe-
ciale & Medium. Generalem vocant,
quem Ecclesia applicari & participari videt
ab omnibus Christi fidelibus, vivis ac
defunctis, præsertim Missæ sacrificio as-
sistentibus, & ad id cooperantibus: quem
proinde sacerdos aliter applicare non po-
test. Speciale sive personale, quem
ex sacrificii celebratione percipit ipse sa-
cerdos, & aliis applicare non debet,
nec in communi multorum sententia po-
test. Medium dicunt, qui sacerdoti
committitur; ut applicetur ei, pro quo
sacrificium, sive ex obligatione sive li-
bera voluntate, offert.

Et de postremo hoc fructu sive e-
jus applicatione, an ratione ejus tempo-
rale accipi valeat, dubitandi ratio est;
quod sacrificium ejusque fructus & ipsa
istius applicatio sit aliquid spirituale:
quod pecuniâ, aliôve temporali exhibitô
compensari nequit sine labe Simoniae, se-
cundum istius definitionem traditam à D.
Thoma 2. 2. q. 100. art. 1. & Glossa in
Summam, 1. q. 1. V. *Quidam*. Verùm
31. pecunia aliudve temporale exhiberi sacri-
ficanti & ab isto recipi potest duplici mo-
dò: & vel tanquam fructus sacrificii &
applicationis estimatio & in ejus com-
pensationem: vel solummodo tanquam
debita sustentationis stipendium: quo-
rum, licet priori modò facta exhibitio
exactioneque Simoniaci sit, hujusmodi ta-
men criminis aliave labe infecta non est
facta posteriori; quia stipendium susten-
tationis sacrificanti & sacrificii fructum
spiritualem applicanti debitum est jure
Naturali ac Divino, juxta illud Aposto-
li, *Si nos vobis spiritualia seminavimus,*
magnum est, si nos carnalia vestra me-
ramus, 1. Corinth. cap. 9. v. 11. Pa-
normit. in c. *Suam* 29. de *Simonia* n. 4.
Sylvester V. *Simonia* q. 9. Sotus Lib. 9.
de *Justitia* q. 6. art. 1. Suarez de *Simonia*
cap. 21. à n. 5. & Palao *Tract.* 17.
disp. 3. p. 11. n. 2.
32. Dubium secundo est, an à clerico,
ad Missarum celebrationem ex beneficio
obligato, ratione applicati fructus stipen-
dium accipi & exigi possit. Recipere
hoc posse sacerdotes, obtinentes benefi-
cium, cui sacrificandi obligatio annexa non
est, D. Thomæ *Quodlib.* 6. art. 10. Na-
varri *Manual.* cap. 23. n. 102. Suarez
Tom. 3. in 3. p. disp. 86. s. 3. *conclus.* 2.
& aliorum communis sensus & ratio est;
quod juxta dicta, sacrificii fructum ap-
plicandò, spirituale ministranti ejus ra-
tione debitum sit stipendium sustentatio-

nis: & istius receptionem non impediât
beneficium; cum enim ex isto sacrifican-
di & sacrificii fructum applicandi ulla o-
bligatio non imminet, stipendii ratione
applicationis fructus sacrificii, ad bene-
ficium relationem non habentis, perci-
piendi jus afficere non potest.

Sacerdotibus autem, ad Missarum ce-
33. lebrationem ratione capellanæ aut alteri-
us beneficii obligatis, stipendii receptio-
nem fere non permittunt, eosque ad sa-
cificiorum fructum fundatoribus appli-
candum obligant Aldanus de *Valore & Ap-
plicat. Sacrif. Tract.* 2. cap. 3. n. 3. Fau-
stus Lib. 2. de *Sacris. Miss.* q. 155. Bar-
bosa de *Officio Parochi* cap. 11. n. 10. in
fine, Gavantus ad *Rubr. Missal.* p. 3. *Tract.*
12. n. 5. Diana p. 1. *Tract.* 4. *resol.* 8.
qui tamen ab hac sua Opinione recessit,
Pignatell. *Tom.* 3. *Consul.* 61. n. 9. & 15.
& nonnulli alii, quorum tamen aliqui
satis ambigüe loquuntur.

Moventur primò variis declaratio-
34. nibus S. Congregat. Cardd. Concilii Tri-
dent. Interpp. ab his enim declaratum est
imprimis, *Sacerdotes, quibus diebus tenen-
tur Missas celebrare ratione beneficii seu
capella, legati aut salarii, si elemosy-
nas etiam pro aliis Missis celebrandis su-
sciperint, non posse eadem Missa utrique
obligationi satisfacere*, ut in Decreto, de
Celebrat. Missar. jussu Urbani VIII. edi-
to & à Jordano Lucubrat. Lib. 4. Tit. 1.
n. 515. relato, habetur. Deinde Cano-
nicos allegantes, quòd in fundatione non
habeant onus celebrandi & applicandi sa-
cificium, non posse diebus, quibus per-
turnum juxta tabellam Ecclesiæ Missam
celebrant, applicare sacrificium pro sibi
largientibus elemosynas, in una *Ale-
xandrina* 26. April. 1653. Et demum,
Canonicos Anniversariorum celebrationi
non satisfacere celebratione Missæ Con-
ventualis in una *Castellana* 9. Julii 1644.
O o o o o, 2 ubi ad-

ubi additur, pro Missa, quam celebrant in aurora, si onus celebrandi ratione beneficii aut salarii non habeant, manualem eleemosynam ab ipsis accipi pro eaque sacrificium applicari posse.

Secundò; quòd receptio stipendii pro applicatione fructus sacrificii facta ab eo, qui ad celebrandum ratione beneficii, capellæ &c. obligatus est, & sustentationis stipendii ex istis habet, infecta sit labe Simonie; cùm enim id non debeatur, non recipi valet tanquam stipendium sustentationis; quòd, cùm ista jam habeatur ex beneficio, accipitur in compensationem fructus & applicationis sacrificii: quam esse Simoniacam, jam est dictum.

Tertiò; quòd obligatio, Missam applicandi beneficii fundatoribus, sit Juris Naturalis & Justitiæ; ut quoties eam liberam esse non constat, pro capellanæ vel beneficii fundatoribus sit faciendâ; & hi, in dubio sibi prospexisse & animas suas non neglexisse, præsumantur; cùm; quòd capellanæ aliæque beneficia communiter institui soleant cum onere sacrificia offerendi pro fundatoribus: in dubio autem id, quod communiter solet, factum præsumatur, *arg. c. 1. de Cleric. non resid. & l. Ideo 27. ff. de LL. Menoch. Lib. 1. præsumpt. 18.* & Everardus *Legal. arg. loco 102. uterque à n. 1.* tum verò; quòd fundatores, meliori modo sibi prospicere voluisse, censeantur; & si, cui sacrificiorum fructum applicare voluerint, præsentibus interrogarentur, procul dubio; ut sibi applicetur, essent responsuri.

35. Quin parochos quoque & ceteros curatos iis diebus, quibus ad Missarum celebrationem ex officio tenentur, ad earum fructum populo parochiano applicandum obligant Sotus *cit. q. 2. art. 2. & Lib. 9. cit. q. 3. art. 1. §. Nihilomi-*

nis, Barbosa de Offic. Episc. alleg. 24. n. 23. in fine & alii, id deludentes ex Synodi Trident. Sess. 23. cit. cap. 1. pr. de Reformat. verbis, Cùm præcepto dicitur mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissæ est, vovet sua agere, pro his sacrificia offerre &c.

Pro utraque parte deducenda sacrificiorum fructum applicandi, & recipiendi stipendii libertatem, sicut aliquibus, sic non indiscriminatim omnibus, quibus illorum celebratio ex officio beneficiis annexo imminet, adimendam eribunt. Quare statuendum inter eos est discrimen.

Et primò quidem stabilienda libertas illa est iis, quibus ea & intentio libera expressè permittitur, ut tanquam rem omnino exploratam proponunt Card. de Lugo *diss. 31. de Sacrament. n. 19. & 21. Donatus Tom. 9. Prax. Regul. Tract. 7. q. 49. n. 5. Gavautus cit. Tract. 12. n. 5. id à S. Congreg. Card. Interpp. declarationum, altèrens 13. Julii 1630. idque nemine fructu sentiente; quòd id ullo jure vitium non sit, & absque Simonie, Injustitiæ aliæve labe fieri possit.*

Secundò, capellanis hisque familia beneficia sacerdotalia obtinentes, Missarum, in fundatione præscriptarum, fructum juxta piam fundatorum intentionem saltem, quando hæc expressè est, applicare tenentur; ut pro iis novum stipendium accipere nullatenus possint: ut ex deductis n. 35. indubitatum est, & nemò facillè inficiatur.

Tertiò, ii etiam, qui capellanis aut alterius beneficii simplicis ratione, aut etiam ratione legati vel salarii ad Missarum celebrationem sine expressa mentione intentionis vel applicationis, solito tamen etiam sine speciali expresso vel notabili onere annexo, adstringuntur, sacrificia.

Sacrificiorum fructum fundatoribus defunctis, aut aliis salariis præbentibus applicare tenentur; ac proinde ratione applicationis aliud stipendium recipere nequeunt, ut argumenta *n. 34.* deducta evincunt; esto enim, idem sacrificium pluribus applicatum singulis æquè proficit, ac si singulis applicaretur, stipendium tamen ratione ejus non conceditur, nisi in sustentationem debitam Sacerdoti, qui fructum applicare debet. Unde eam pro uno sacrificio ab uno recipiens, injustè eam pro eodem ab alio exposcit, Navarrus *cit. cap. 25. n. 92.* Bellarminus *Lib. 2. de Missa, cap. 4.* Suarez *cit. disp. 86. f. 6.* & Laiman *Lib. 5. Tract. 5. cap. 1. n. 12.*

39. Quartò, licet parochus quandoque, in anno sacrificium pro ovibus suis offerre teneatur, ex decreto, *cap. 1. pr. Sess. cit.* hinc tamen legitimè non inferitur, ipsum omnibus diebus, quibus sacrificare ex *cap. 14. cit.* decreto tenetur, sacrificiorum fructum pro parochianis offerre teneri; cum id non asseratur à Concilio, neque ex institutione in parochiali aliòve beneficio curato desumatur; quia ratione officii huic annexi solummodo tenetur oves pascere verbò & exemplo, Sacramentorum administratione & dispensatione, divinatorum celebratione & Sacrificiorum pro ipsius oblatione: ad quod specialis & principalis applicatio fructus Sacrificii, quoties hoc offertur, necessaria non est: sed sufficit, si huic quandoque & præsertim sapius factæ accedat generalis & secundaria, quæ id omnibus fidelibus præsertim assistentibus applicatur, ut aliis DD. allegatis docent Palao *Tract. 22. disp. unic. p. 13. n. 7.* & Engel *ad hanc Rubr. §. 1. n. 18.* Unde

40. Inferitur, à parocho & curatis aliis eò ipsò; quòd ejusmodi Missarum fructum ovibus suis specialiter applicare non teneantur, pro ipsarum celebratione sti-

pendium accipi posse: saltem si, ad eas illis & aliis etiam diebus determinatis offerendas, earumque fructum specialiter ovibus suis applicandum, ex fundatione, statuto, consuetudine non obligentur, ut cum Vasquez *disp. 334. cap. 1. §. 4. adverte* tit Palao *p. cit. n. 8.*

Quintò verisimiliùs Sacrificiorum fructum, quibus volunt applicare, etiam stipendiò acceptò, valent Sacerdotes, à constituyente aut etiam à fundatore ad Missas certò locò & tempore celebrandas, pro Ecclesiæ vel Altaris cultu duntaxat, vel solâ commoditate vel solatiò fidelium in loco præsentium; ut Missæ copiam habeant, aut aliis oneribus specificè expressis, nullâ autem intentionis vel applicationis mentione factâ, obligati; talibus certè applicationis & stipendii recipiendi liberam facultatem adstruunt Peyrinus *Tom. 3. de Privileg. cap. 1. n. 20.* Rodriguez *Tom. 1. Regular. q. 43. art. 8.* Suarez *cit. disp. 86. f. 3. conclus. 2.* Vasquez *disp. 234. n. 25.* Alphons. à Leone *de Jubileo p. 3. q. 20. n. 27.* Turrianus *p. 2. Select. disp. 3. dub. 2.* Lugo *cit. disp. 31. n. 19.* & 20. Pellizarius *Tract. 5. Manual. Regul. cap. 9. à n. 98.* Diana *p. 2. tract. 14. resol. 26.* & *p. 5. tract. 13. resol. 51.* & alii magni nominis DD. Proquorum & communiori sententia facit; quòd obligatio fructum Missæ applicandi ab obligatione eam celebrandi diversa & separabilis sit: ab eaque separata reperiatur in multis, ad sacrificandum obligatis sine obligatione Sacrificiorum fructum certis personis vel causis applicandi; sic enim Sacerdotes Regulares multi vi Regulæ vel Consuetudinis sacrificare tenentur, & sacrificiorum fructum, quibus volunt, applicare liberè possunt: sic juxta dicta, beneficiatus aliùve Sacerdos à fundatore vel alio adstringi ad sacrificandum cum sacrificii applicandi sive intentionis libertate po-

○ ○ ○ ○ ○ ;

tate po-

tate potest: quæ libertas in hujus Resolutionis casu relicta censeretur potest, partim; quòd solò loci cultu aut fidelium commoditate solatiòve, & similibus oneribus aliis specificè expressis, intentionis autè sive applicationis ullâ mentione non factâ, ad sacrificandum obligatus Missarum fructum applicare & ratione applicationis stipendium recipere valeat sine labe Simonia & Injustitia: sine Simonia quidem; quia stipendium non accipit tanquam pretium sive ætimationem spiritualis fructus: sed tanquam stipendium sustentationis, debitæ ab iis, quibus spiritualia ministrantur, ut supra dictum n. 32. Sine Injustitia verò; quia fructum illum applicandò aliis non agit contra obligationem à fundatoribus impositam; cum locò & tempore designatis celebrandò impleat totum officium, beneficio suo annexum & correspondens: partim verò; quia, sicut leges ac statuta, sic etiam foundationum & similia instrumenta ex communi DD. sensu ad plus non obligant, quàm ipsi est expressum, cum; quia obligationes juxta formam modumque, à jure vel homine eas imponente, expressum, regulantur ac modificantur: & ab expressis ad non expressa non porriguntur, arg. l. Arrianus 47. ff. de O. & A. ut, quod lege, statutò vel instrumentò expressum non est, ejus conditor aut fundator voluisse, non intelligatur, secundum Regulam, Si voluisset, expressisset, desumptam ex l. Quidquid 99. pr. ff. de V. O. & traditam à Suarez Tract. 8. de Relig. lib. 2. cap. 17. n. 7. tum verò; quia generaliter in omni actu obligationem inducente ea interpretatio præferenda est; quæ efficitur, ut quis ad minus potius quàm ad plus obligetur, arg. l. Odis 15. & Reg. In obscurâ 30. in 6.

Confirmantur ista; quia ex una, applicatio fructus sacrificii res valde nota-

bilis & speciali notâ mentioneque digna, & ab obligatione sacrificandi separabilis & sæpe separata est, & cum exiguntur à fundatoribus exprimi solet: ex altera verò parte ea, quæ speciali notâ digna, & ab expressis separabilia sæpe separata sunt: & cum exiguntur, exprimi solent, casu, quò non exprimuntur, pro neglectis seu specialiter non intentis habentur, l. Item apud 15. §. 26. ff. de Injuris, Pa. normit. in c. At si clerici 2. de Judicis n. 24. & Menoch. Lib. 4. præsumpt. 16. n. 16. juxta tritum illud, Quod quis tacite exprimere potuisset, si voluisset, id si non expressit, nec voluisse censendum est; qui testator & fundator, quò non est locus, non præsumitur voluisse, Riminaldi. Jus. Consil. 371. n. 36. & Tuschus Practic. Fidicommissum, conclus. 261. n. 7.

Neque hæc stabilis & beneficiis favorabilem Opinionem committunt, eique contrariam veritatem reddunt allegatæ S. Congreg. declarationes; quia istas præ oculis habuerunt & ponderarunt ex proximè laudatis Doctoribus plerique, præsertim Diana & Card. de Lugo: & tamen, iis nihil moti canonicos, beneficiatos & parochos etiam, qui vi suorum beneficiorum ac prebendarum sacrificia, ad quæ tenentur pro aliquo applicanda speciale obligationem non habent, stipendia pro iis accipere posse, in ipsa urbe, in S. Congregationis & Ecclesie facie publicè, & sub auctoritate Apostolica editis Voluminibus tradiderunt, & Diana, teste Lugone cit. n. 1. pristinam suam Opinionem, quæ stipendia ab iis recipi non posse p. 2. n. 11. ab iis recipi non posse p. 2. n. 11. docuerat, mutare non dubitavit. Neque id immeritò; quod imprimis declarationes illæ non spectent casum, quòd ejusmodi beneficiato vel Sacerdoti certò locò & tempore, ob Ecclesie vel Altitulatum, pro fidelium commoditate & utilitate

latio sacrificandi, præsertim expressis certis oneribus aliis, obligatio imponitur sine ulla mentione intentionis sive applicationis fructus. Deinde, quia vi *citt.* declarationum aliquarum pro Conventuali & per turnum celebranda Missa stipendium ideo non permittitur; quòd, cum Missa illa sit Capitularis, *c. Cùm creatura* 11. non pro libitu celebrantis, sed juxta intentionem Capituli sit offerenda, ut cum Riminaldo *Lib. 29. n. 168.* & aliis observat Bonacina *cit. q. ult. p. 7. §. 2. n. 7.*

Neque stipendii receptio simoniaca est; cum, ut dictum, non pretii fructus, sed solius stipendii sustentationis habeant rationem.

Neque refert; quòd congruæ sustentationis stipendium habeat ex beneficio; quia istam etiam habent clerici divites, uti & pingue beneficium sine obligatione sacrificandi, vel cum ista obligatione, sed intentionis libertate sibi expressè relicta, obtinentes: qui tamen omnes sine simonia aliave iniquitate stipendium recipere ratione applicationis fructus possunt.

Neque, ut tertiò locò opponitur, ad Missarum fructum pro fundatoribus applicandum Jus Naturale & Justitia semper, sed fere iis tantum casibus obligat, quibus eum sibi applicari fundator expressè voluit, aut voluisse verisimiliter præsumitur; quòd Missæ fundatæ alius specialis & notabilis finis non sit expressus.

At, licet de Parochis aliisque beneficiatis dicta verisimillima sint, iis tamen casibus, quibus pro solo loci cultu aut alio fine speciali Missas celebrandi obligatio clarè expressa non est, præ oculis habendum est *n. 34.* relatù decretum, *Sacerdotes, quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione beneficii seu capellania, legati seu salarii, si elemosynas pro aliis*

etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa utrique obligationi satisfacere.

* Dubium tertiò est, an Sacerdos præsertim pauper pro una missa ejusque fructus applicatione accipere valeat stipendia plura, quæ simul sumpta congruæ sustentationis stipendium non excedunt. Quod, si scandalum absit, cum Soto *in 4. dist. 13. q. 2. art. 1.* Cano *Lib. 12. Loc. Theolog. cap. 13.* & Henriquez *Lib. 9. cap. 22. n. 4.* magni nominis T. T. concedunt & suadent non contemnendam rationem; cum, qui servit Altari, vivere de Altari, *c. Cùm secundum 16. de Prob. & dignit.* & ab eo accipere sustentationem: quam cum non accipiat, qui pro sacrificio stipendii ad sustentationem sufficientis tantum partem ab uno accipit, ejus partem alteram accipere ab alio, & Sacrificium ei quoque applicare valebit; quia ejusmodi applicatione neminem defraudat: & sacrificii fructus pluribus applicatus singulis non minus prodest, quam si ipsis solis applicaretur.

Hæc tamen ratio, licet admodum speciosa sit, tamen apud *citt.* Navarrum *n. 92.* Bellarmin. *Lib. 2. cap. 4.* Suarez *dist. 86. s. 2.* & alios DD. à Barboza *de Offic. Episc. alleg. 24. n. 5.* magnò numero congestos, eà vi non erat; ut plura ejusmodi stipendia recipientibus non adversarentur, cum; quòd stipendiò etiam tenui & ad unius diei sustentationem non sufficiente sacerdotibus abundè compensetur jactura temporis, quod sacrificii celebratio absument; ac proinde reliquum omne impendi ab ipsis valeat aliis officiis & functionibus, ex iisque plenæ sustentationis defectus suppleri: tum verò; quòd plurium etiam tenuium stipendiorum receptione sordium & avaritiæ suspicioni ansa & scandalum fidelibus præbeatur. Quare S. Congreg. Cardd. Interpp. Ur. 45. bani VIII.

bani VIII. auctoritate accedente, salubriter decrevit, *ut, cum pro pluribus Missis celebrandis accepta sunt plura stipendia &c. quantumcumque incongrua & tenuia sint, ab una vel pluribus personis collata vel conferenda in futurum, tot Missa celebrentur, quot prescripta fuerunt, ut refert cit. Barbosa n. 6.*

46. Dubium quartò est, an, qui pro Missa abundantius stipendium accepit, ejus celebrationem alteri, justò stipendiò ipsi exhibitò, concedere & residuum sibi reservare valeat. Qua in re opus est distinctione. Et parochum quidem aliumve clericum, ratione capellaniam vel beneficii ad plura sacra legenda adstrictum, obligationi suæ satisfacere ita posse, à melioris notæ DD. usque receptum & ratio est; quòd ita satisfiat intentioni fundatorum, certas Missas in fundatione præscribentium; cum parochus & beneficiatus alius in beneficio instituat cum stabili onere certa sacra per se vel per alium legendi: quod hæc ratione præstat. Ab aliis autem Sacerdotibus (multòque magis à Sacerdotibus) stipendium abundantius recipientibus pro sacro legendo, quando hoc alteri concedunt, illud huic sine diminutione reddendum, cum Navarro *cit. cap. 25. n. 9.* & aliis tradunt *cit. Laiman cap. 1. n. 14.* & Barbosa *n. 11.* id desumentes partim ex præsumpta mente fidelium, sacrificanti amplius stipendium assignantium, ut ipse ad majorem cooperationem & accurationem suæ liberalitatis intuitu excitetur: partim ex decreto memoratæ S. Congreg. ad sordida lucra & nundinationes ab Ecclesia removendas, ejusmodi Missarum commendationes cum partis retentione prohibentis, apud *cit. Barbosa n. 11. in fine.*

ARTICULUS III.
De Officio Divino.
SUMMARIUM.

47. Hujus nomine veniunt septem hora Canonice,
48. Recitanda publicè à personis Clero deputatis:
49. Privatim à Clericis consuetudinè scriptis,
50. Vel beneficia Ecclesiastica,
51. Præstimoniam,
52. Vel capellaniam, Episcopi auctoritate erectas, obvinentibus:
53. A vicariis perpetuis,
54. Et beneficia in perpetuum,
55. Non temporalem solum commendam obvinentibus,
56. Vel Coadjutoribus etiam cum ipsa successione.
57. Pensionarii ad Officium B.M.V. conveniuntur:
58. Nisi obvineant pensiones meritoriales,
59. Beneficia tenuia obvinentes ad horarum recitatione absolutum
60. Et ad hanc adstringentium veritas Opinio.
61. Aliquando, non semper ad eam conveniuntur beneficiorum titularum sine possessione,
62. Vel hanc sine fructuum perceptione obvinentes.
63. Unà horarum recitatione pluribus beneficiis satisfi.
64. Ad horas tenentur utriusque sexus Religiosi,
65. Ad eorum deputati:
66. Etiam, quando à choro
67. Et

47. Et negotiorum causâ à Monasterio absum.
48. Recitanda Hora sunt studiosè ac devotè.
47. **O**fficii Divini nomine hâc Rubricâ veniunt septem Horæ Canonicae, quæ definitis horis in Choro publicè, vel privatim à clericis & Religiosis ex Ecclesiæ pervetusta, non solum Pelagii Papæ, *can. 1. dist. 91.* relati, sed Apostolica institutione usque quotidie recitantur; cum earum jam meminerint SS. Patres antiquissimi & ipsæ etiam constitutiones Apostolicæ S. Clementis *Lib. 8. cap. 30.*
48. Publicè ex sanctionum Ecclesiasticarum præscripto à personis choro deputatis recitari debent in omnibus Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis, tam Regularibus quàm Secularibus, imò etiam Parochialibus, *can. fin. dist. 92. c. 1. c. Dolentes 9. & Clement. 1. hic:* à cuius tamen Juris rigore sensum, & cum tempore adeò recessum est; ut hodie in pluribus non solum Parochialibus & Collegiatis, sed Regularibus quoque Ecclesiis diebus solum Dominicis & aliis solennitatibus cantentur vel recitentur: & non desint Regulares: Parochiales etiam multæ reperiantur, in quibus ob paucitatem ministrorum vel reddituum ac stipendiorum tenuitatem publica earum recitatio omnino est sublata. Unde, hac in re locorum Consuetudinem præcipuè spectandam & observandam, monet, Suarez *Lib. 4. de Honoris Canonici cap. 10. n. 2. & Palao Tract. 7. disp. 2. p. 1. §. 1. n. 5.*
49. Privatim ad Horarum recitationem quotidianam adstringuntur clerici in Sacris, sive majori aliquo Ordine constituti. Beneficiati & Religiosi, ad chorum expositione deputati.
- Et clericis quidem Majores ad earum pensum quotidie perfolvendum adstringi, à DD. defumi solet ex *c. 1. & c. Dolentes cit.* & ambigui Juris optima Interpretatione Ecclesiæ Consuetudine generali; clarèque supponitur Concilii Basiliensis *Sess. 21.* celebratâ, antequam Concilium hoc in Schisma prolaberetur, ut probè advertit Vasquez *de Benef. cap. 4. §. 5. & dub. 1.* Quâ obligatione, sicut ejusmodi clerici censurâ aliquâ irretiti, irregulares, depositi & degradati non liberantur, sic non tenentur clerici, primâ solum Tonsurâ & minoribus etiam Ordinibus initiati, *can. fin. cit.* non obstante; quia istius textus agitur de hujusmodi clerico, ad Ecclesiæ servitium in choro per institutionem in beneficio, aliâve ratione specialiter deputato, Vasquez *§. cit. dub. 2. & Lessius Lib. 2. de J. & J. cap. 37. n. 46.* rectè advertens, tales clericos etiam ad Officium B. V. M. Psalmos Penitentiales vel Graduales, Litanias majores, Psalmum Miserere aliâve similes preces quotidie recitandas non obligari: nisi hujusmodi Preceationum aliquarum pensum perfolvendi obligatio particularis alicujus diocesis consuetudine esset introducta.
- Eâdem Officii Divini quotidie recitandi obligatione beneficiatos, sive clericos etiam minoribus Ordinibus & primâ solum Tonsurâ initiatos, dignitatem vel aliud beneficium Ecclesiasticum obtinentes teneri, defumi solet ex *can. fin. c. 1. cit. & c. fin. de Rescriptis in 6.* dum eò, Beneficium propter Officium dari, asseritur. Quibus non satis clarè prodita obligatio confirmata vel declarata est à Concilio Lateranensi sub Leone X. *Sess. 9. de Ref. Curie §. Statuimus, & Motu proprio Pii V. qui incipit Ex primo, edito 12. Cal. Octob. 1572.* quâ Constitutione utrâque ii, qui saltem post sex menses à beneficio obtento Divinum Officium, justò impedimento cessante, non recitârunt, beneficiariorum

P P P P P

ciorum

ciorum suorum fructus, Officii illius recitationi (non etiam cura vel alteri muneri spirituali; secundum *cit. Lessii n. 177.* & aliorum benignam Opinionem) respondententes non faciunt suos pro rata omissionis Officii & temporis: sed eos tanquam injustè perceptos in Ecclesiæ fabricam vel pauperes erogare tenentur.

51. Iisdem Constitutionibus ad horas Canonicas etiam obligantur clerici, Præstimonia & Præstimoniales portiones ab Ecclesiasticis redditibus detractas obtinentes. Circa quos Laiman. *Lib. 4. Tract. 2. cap. 5. n. 6.* & mihi etiam placet distinctio Rebuffi *de Pacifico. possess. n. 105.* ad illas clericos ratione præstimoniorum solummodo obligantis, quando ista in titulum perpetuum conferuntur, & annexum habent aliquod obsequium spirituale, quod per laicum expediri non potest; quia talia, licet speciale nomen habeant, reipsa vera beneficia Ecclesiastica sunt. Non etiam ratione præstimoniorum, quæ non conceduntur in Titulum, neque ob ejusmodi obsequium: sed aliam ob causam v.g. ad studiorum prosecutionem vel tanquam stipendium sustentationis, donec beneficium obtineatur.

52. Eadem ferè ratio est imprimis Cappellaniarum, si eæ Episcopali auctoritate, etiam ex laicorum patrimonio sint erectæ, & ab eo conferantur; quantumvis ad ipsius nutum auferri & alteri conferri queant; quia omnes qualitates ad beneficium requisitas habent: easque obtinentes habere censentur beneficia Ecclesiastica, saltem Manualia, si ad nutum revocabiles sint: cujusmodi beneficium obtinentem Horariâ obligatione teneri, ex aliorum DD. communi sensu tradunt Azor *p. 1. Institut. lib. 10. cap. 3. q. 2.* & Laiman *cit. Tract. 2. cap. 5. n. 7.* quia Manuale idem juris & oneris habet, quod cetera beneficia, exceptâ perpetuitate,

sive quòd semel collatum, sine justa causa, nequeat auferri.

Deinde Vicariarum; cum etiam hæc obtinentes, si perpetui sint, vera beneficia Ecclesiastica obtinentibus accessentur, *e. Posulasti 27. de Rescriptis.* & ad prædicti Horarii quotidianam per solutionem restringantur: si verò temporarij tantum sint, ab ea censentur immunes; cum beneficij custodiam duntaxat & administrationem ad tempus, non titulum habeant, *cit. Garcias n. 106. & Suarez cap. 21. n. 15.* rectè excipiens & ad Horas obligat Vicarios chori & alios, beneficiorum v.g. Monasterii unitorum administrationem plenam etiam in temporalibus, licet ad nutum revocabilem, obtinentes.

Demum Commendarum perpetuarum; cum enim tales commendæ spectent utilitatem personarum eas obtinentium, & hæc beneficiorum commendatarum, licet careant titulis, integram tamen habeant administrationem & fructus integre percipiunt, illis annexâ obligatione ad Preces horarias tenebuntur ratione ejusmodi commendationis. Alia ratio est commendæ solum temporalis; cum enim illa spectet utilitatem Ecclesiæ, per temporalem concedatur ad tempus, v.g. donec persona idonea instituat, & beneficij effectuum rationibus reddendis obnoxia sit. *Glossa in c. Nemo 15. de Elect. no 6. ad Horarum Canonicarum recitationem non obligabit, cit. Azor q. 6. Laiman n. 7. q. 4. & Palao p. 1. §. 2. n. 4.*

Sicut in Commendam solum temporalem beneficium obtinens, sic etiam pensum Horarium non obligat Commendatorem, etiam cum futura successione & effectuum portione aliqua assignatâ, assumptus vel constitutus, ut cum Navarrete *Manual. cap. 20. n. 18. docent cit. Azor cap. 4. q. 1. Garcias p. 3. de Benef. cap. 1. n. 129.*

n. 109. Suarez *Lib. 4. cap. 22. n. 19.* & Palao §. 2. n. 7. Ratio est partim; quia non ipsum beneficium, sed jus tantum habet coadjuto defuncto succedendi: est secuta istius morte & quasi impletâ conditione beneficium consequatur sine nova collatione: partim verò; quia ratione unius beneficii non duo, sed unus duntaxat, scilicet ejus proprietarius ad Horas Canonicas tenetur. Accedit; quod beneficii fructibus detracta portio Coadjutori assignetur tanquam stipendium laboris, quem pro Coadjuto subit.

§7. Dubium est de Pensionario: quem ab horarum quidem Canonicarum recitatione DD. passim absolvent; quòd pensio beneficium propriè non sit; ad Officium tamen B. V. M. adstringi, volunt *Constit. Pii V. cit.* saltem, si ad Horas canonicas non tenetur aliunde; has enim ex obligatione undecunque orta vel etiam libera voluntate persolventem ad B. V. M. Officium adstringi, meritò negant; quòd ad hoc recitandum obligare Papa solum intenderit eos, qui ad nullas alias preces sunt adstricti, aut horarum Canonicarum majus Officium non persolvunt. Sed, etsi hæc vera sint de Pensionariis obtinentibus pensionem Ecclesiasticam, primam

§8. Tonfuram vel Ordines minores exigentem, locum tamen non habent in iis, qui obtinent pensionem solum laicalem, sive non exigentem primam Tonfuram vel titulo solum temporali constitutam alicui, v.g. de Ecclesia bene merito, ædituo, janitori pulsanti organa vel campanas, magistro Scholæ & similibus; hos enim ratione ejus ad Officium B. V. M. non tenent, ex communi aliorum DD. sensu tradunt *cit. Azor cap. 4. q. 3. Garcias cap. 1. n. 119. Suarez cap. 22. n. 6. & Palao §. 2. n. 6.*

§9. Dubium secundo & magna dissensio est inter DD. de clerico, obtinente benefi-

cium tenue, sive cujus fructus ad moderatam sustentationem sunt insufficientes, Quem aliqui cum Soto *Lib. 10. de Justitia q. 5. art. 3.* ab Horarum recitatione omnino absolvent. Alii cum Lessio *Lib. 2. de J. & J. cap. 34. n. 169.* ad eam Dominicis tantum festisque diebus adstringunt. Rationem reddunt illi; quòd beneficium tenue pro non beneficio, & exigui fructus pro nullis habeantur, juxta tritum, quòd *Parum pro nihilo reputatur.* Isti verò; quòd, cum beneficium, ex quo nulli fructus percipiuntur, ad Horarum recitationem omnino non obliget, id, ex quo sustentatio moderata non tota, sed ejus duntaxat aliqua v.g. tertia pars percipitur, ad Officium Divini partem tantum, vel ad id aliquoties tantum per annum valeat obligare, præsertim ex Justitia; quæ inter stipendium & obsequium, ratione cujus illud exhibetur, exigat quandam æqualitatem.

Sed frequentiori DD. calculò approbata & veritati magis consona est sententia Sylvestri *V. Horæ, q. 2. Navarri de Oratione, cap. 7. n. 27. Covarruvie Lib. 3. Var. cap. 13. n. 8. cit.* Garcias *cap. 1. n. 30. Suarez cap. 21. n. 3. & 9. Laiman cap. 5. n. 5.* & aliorum, relatorum à Barbosa *in c. Dolentes q. n. 4.* ejusmodi clericum ad Horarum quotidianam recitationem obligantium; quòd id non obscure decretum sit à Concilio Carthaginensi, relato *can. Clericus 2. dist. 91.* ubi clericus, ab Ecclesia sustentationem non habens, vestitum & vestitum artificio vel agriculturâ sibi parare jubetur absque Officium sui, sive pensu Horarii detrimento. Ratio, quâ moventur, est; quia etiâ tenue revera beneficium est; *c. Si proponente 42. de Rescriptis & c. Si mora 23. de Præbend. in 6.* cum sit jus perpetuum percipiendi temporales redditus ratione officii spiritualis: Horarii autem pensu quotidie persolvendi

P P P P P 2 obliga-

obligatio à Concilio Lateranensi & Pio V. beneficiatis generaliter, sine ulla exceptione vel restrictione ad beneficium pingue, imposita est. Unde, sicut qui unum valde pingue aut plura ad sustentationem sufficientia obtinet, ad Horas semel duntaxat, ut infra statuetur: sic qui tenue beneficium obtinet, ad illas integre & quotidie recitandas obligatur, quod *citt.* *Constit.* à Pio V. verbis, *Et qualiacunque alia beneficia*, non obscure insinuat. Accedit; quòd Ecclesia, sicut in Ordine sacro constituta, licet nullos percipiant, sic beneficiatis percipientibus modicos fructus Horarii pensati quotidie persolvendi onus imponere potuerit; cum onus hoc istis non minus quàm illis honore, exemptione & cæteris privilegiis Ecclesiasticis abunde compensetur. Deinde; quòd onus illud, sicut clericis in Sacris constitutis, sic etiam beneficiatis generaliter & indistinctè imponi fuerit expediens; ne ad sequiora & excutienda onera proni homines, ad congruam sustentationem justò plus exigentes, vanâ persuasione tenuitatis fructuum ad illam insufficientium ad Divinum Officium facillè omittendum induantur. Unde corrui ratio contrariæ Opinionis utriusque; cum quoad obligationem ad Horas ex vero beneficio imminentem Parùm pro Nihilo non reputetur.

Quantumvis autem hæc de Jure ita sint, minimè tamen damnanda videtur Consuetudo, vi cuius alicubi tenuia beneficia sine obligatione ad Horas clericis minoribus conferrentur, saltem si isti ratione illorum ad aliud spirituale servitium obligarentur. Si verò ad nullum huiusmodi servitium adstringerentur, non vera beneficia, de quibus sermo nobis est, sed Pensiones tantùm forent; cum verum beneficium propter officium detur, *c. fin. de Rescript. in 6.*

Dubium tertio est de eo, qui beneficii titulum habet sine eius possessione: de quo DD. variè sententiam & loquuntur Opiniones in concordiam, si possit, reducere juvat auxilio distinctionis. Eum quidem, per quem stat, quòd minus sibi collati beneficii possessionem nanciscatur, ratione illius ad Horas teneri, melioris notæ DD. plerique facillè concedunt, quòd, beneficium annexo Officiò prævato, æquitas & ratio naturalis nemini permittat: tum verò; quòd possessionem habere, & quò minus eam quis habeat, per ipsum stare, paria sint, *Liter. 23. de Priu. in 6.* Si per eum non fiet, multum interesse videtur, an de beneficii collati possessione ex eoque provenientibus fructibus percipiendis moraliter certa vè dubia spes sit; cum, si hæc dubia vel exigua sit, ad Horas obligationem non dati, *citt.* *Garcia n. 101. Azor cap. 4. q. 7. de Sacra. cap. 19. an. 9.* & aliorum communis sententia ratio clara sit; quòd, pro fructibus & stipendio omnino incerto officium seu servitium certum exigere, à Juris & equitatis Regulis sit alienum. Si verò cum possessione fructus, à tituli per collectionem accepti tempore provenientes, percipiendi spes moraliter certa sit, ad Horas beneficiatum cum Navarro *citt. cap. 7. d. n. 28.* melius obligant *citt.* *Garcia n. 102. & Lessus n. 167.* quòd, cum talis vere sit beneficiatus, & officio respondentis fructus percepturus, ad illud obeundum iure adstringatur.

Dubium quartò est de Canonis iuris beneficiarum quidem possessionem jam missis, sed non percipientibus eius fructibus de quibus pro casuum varietate varia Resolutio est. Et primò, si, quòd eorum fundi ab hostibus occupati sint, nullos unquam vel primis aliquot, annis certis incertisque eos percepturi non sint; quòd in Ecclesiæ fabricam vel aliam piam causam applicentur.

applicentur, ab Officii Divini recitatione cum Navarro *cit. cap. 25. n. 103.* eos rectè excusat Laiman. *cit. cap. 5. n. 4.* quòd beneficia nondum plene obtineant; eùm ea non habeant quoad jus redditus percipiendi. Secundò, si primi vel secundi anni fructus ex Consuetudine Ecclesie ad eorum defunctorum honestam sepulturam vel debita expungenda creditoribus aut hæredibus referrentur, eos ad Horas obligari, probabiliùs censent *citt. Garcias n. 66. Azor q. 4. & Lessius n. 170.* quòd, cùm tales fructus in eorum utilitatem impendendi referrentur, ab ipsis percipi videantur. Tertio, ad eandem recitationem Canonici à *citt. Azor, Lessio & Suarez cap. 20. n. 7.* primis annis obligantur, quando istis provenientium fructuum ipsis subtractorum dimidia pars, imò etiam si omnes ex Consuetudine canonicis antiquioribus ad vitæ & dignitatis convenientem sustentationem augendam accrescant; quòd eos postea perinde, ut si ipsis reservarentur, recipiant, hòc ipsò; quòd postea percepturi sint uberiores. Quod licet juri consentaneum sit, damnare tamen non auisim consuetudinem, saltem immemorabilem, vi cuius primis annis nullos fructus percipientes ab Officii Divini recitatione excusarentur; quòd, licet consuetudo, novis Canonicis fructus omnes ex tali & priori etiam causa subtrahens, à Joan. XXII. *Extravag. Suscepi, de Elect.* & Pio V. *Constitut. quæ incipit Durum, Cal. Junii 1570. edita* reprobetur; istæ tamen Constitutiones in Germaniæ & Hispaniæ Ecclesiis non omnibus sint receptæ; & consuetudinis reprobatione generali, exclusa non censetur immemorialis, juxta dicta ad *Lib. 1. Tit. 4. n. 46.*

Quartò, multò magis ad pensum Horarium quotidie persolvendum tenentur, qui fructus, cum possent, non percipiunt

suâ culpâ; quòd vg. excommunicati, suspensi, aut à loco beneficii sine justa causa absint, vel præsentibus ei nunquam deserviant; quia Ecclesiam servitiò & officio, ratione beneficii ab ea accepti debiti, defraudare non valent. Contrà Canonicus, nullâ suâ culpâ, sed alienâ vi, fraude aliòve modò injustò à fructuum consecutione aliquot annis sine ulla spe eos postea recipiendi omnino impeditus, ad Horas verius non tenetur; quòd pro eo tempore beneficium quoad nudum titulum & nomen, non etiam quoad effectum habeat, *citt. Navarrus cap. 7. n. 28. Garcias n. 45. & Lessius n. 168.*

Dubium quintò aliqui movent de clerico, beneficia plura simul obtinente. **63.** Qui perinde, ut tribus sacris Ordinibus initiatus, atque insuper beneficiatus aut Religionem professus, unicâ recitatione omnibus satisfacit, sive Ecclesie beneficiatos obligantis intentio & Praxis, sive ratio spectetur; cùm, si Officia Horaria pro beneficiorum numerò recitanda forent, illa persolvendi obligatio non paucis clericis plura beneficia obtinentibus moraliter impossibilis foret, ut rectè observant *citt. Suarez cap. 18. à n. 1. & Palao §. 2. n. 27.* Unde, sicut plures Ordines sacros, sic etiam plura beneficia obtinens unum duntaxat peccatum mortale committit horarum Canonicarum omissione; quòd, licet pluribus titulis, ad unam tamen duntaxat recitationem obligetur.

Eadem; quæ clerici in Sacris & beneficiati ad integrum Officium Divinum quotidie publice in choro, vel privatim persolvendum obligatione tenentur Professus utriusque sexûs, ex Religionis suæ Instituto ad eorum deputati non quidem Jure Naturali vel Divinò; neque etiam Canone aliquò Ecclesiastico: neque ex Regula duntaxat, sed generali **64.**

P P P P P ;
Consue.

65. Consuetudine. *Ad Chorū*, inquam, *deputati*; ad excludendos Imprimis Novitios, qui in sacris constituti vel beneficiati non sunt, & Fratres laicos sive Convertos, ad id non adstrictos: nisi à laicorum ad Fratrum choro deputatorum statum autoritate superiorum transeant; sicut vicissim, ex istorum sive choro deputatorum numero ad Converterum statum translatus, ab ejus persolvendi obligatione liberatur. Deinde Religiosos Equites, ex Professione sua non Choro, sed Militiæ deputatos. Et demum Religiosos ex suo Instituto choro non adstrictos & sacro Ordine non initiatos: ut in Societate JESU præter Coadjutores Temporales sunt Scholastici, qui ante sacram Ordinationem ad pensum Horarium non adstringuntur, *citt. Suarez cap. 17. n. 6. Palao p. 1. §. 3. n. 1. & Donatus Tom. 4. Prax. Regul. Tracti. 18. à 9. 10.*
66. Dubium de Religiosis sacro Ordine non initiatis & Monialibus est, an à choro absentes ad Horas privatim recitandas graviter obligentur; id enim cum Cajetano *in Summa V. Hora, casu 14. Bordonus p. 1. resol. 30. n. 3.* & quidam alii negant; quòd ad eam recitationem non obligentur communi Ecclesiæ Jure, sed sui quisque Instituti Regulæ & huic conformi consuetudine: Regula autem eique accessoria Consuetudo ipsos obligare non videatur sub mortali peccato: cum id nimis durum & animabus periculosum foret. Sed ratio hæc levis est momenti; cum enim vi ejusmodi Consuetudinis ad Horas graviter obligentur in Sacris constituti clerici Seculares, non apparet ratio, cur ita obligari nequeant Regulares, ex professione addicti choro; quia ad orandum, laudandum & colendum Deum vi status sui non minus tenentur, quam clerici Seculares; ejusque ob-

ligationis gravitas Regularibus, tanquam mundo mortuis & soli servitio Divino perpetuo mancipatis, non magis gravis & periculosa est, quam degentibus in seculo, & ab istius curis non omnino expeditis. Quare melius alii cum Sylvestro *V. Hora, q. 2. citt. Navaro cap. 7. n. 5. & Suarez cap. 17. n. 19.* utriusque sexus Regulares, ad chorum deputatos, ad Horarii pensu in choro vel privatim persolutionem graviter obligari, docent; pro se allegantes communem sensum Fidelium, ejus omissionem graviter apprehendentium, & ipsorum Regularium de ea tanquam gravi piaculo de accusantium in sacro tribunali. Ratio est: quia Consuetudo habet vim Legis, *can. Consuetudo §. dist. 1.* & istius iustitiam materia gravi & ad commune bonum multum conducente, graviter obligat censetur, præsertim si ejus violatione populus Christianus & timorata conscientiarum homines scandalizentur, *can. quæ Prælati plebant, juxta tradita Lab. 4. Tit. 4. à n. 24.*

Atque ista ad Horas obligatione Regulares tenentur etiam, quando studiorum, negotiorum aut alia simili ex causa cum sui Prælati licentia extra Monasteria degunt; quòd Regulæ & Religionis obligationibus, quatenus eas servare possunt, maneant adstricti. Idem *citt. Navarrus n. 20. Azor q. 5. §. 6. Suarez n. 9.* & alii docent de fugitivis atque egressis; ne ex sua malitia commodum reportent; & melior conditio sit ipsorum quam aliorum, qui cum Prælati licentia & ex honesta causa extra Monasteria degunt. Contrarium tamen de egressis ad triremes condemnatis, sacrum Ordinem non habentibus, cum Soto *citt. q. 5. art. 3. sustinet Bonacina de Horis, dist. 1. q. 2. p. 2. n. 3.* quòd, licet Religiosi esse non desinant, ad statum tamen choro non

ro non deputatorum translati videantur.

68. Recitanda autem Hora ab omnibus ad eas obligatis sunt Studiosè ac devotè, c. Dolentes 9. Studiofa autem recitatio erit, si verbus & sensus integrè, hoc est, sine omissione, truncatione, concisione & interruptione proferantur. Devota, si fiat cum debita intentione & attentione, sive cum advertentia ad verba eorumque sensum, huic accommodato affectu & saltem virtuali intentione laudandi & colendi Deum, ut cum S. Thoma 2. 2. q. 87. art. 13. declarant citr. Navarrus de Orat. cap. 14. n. 4. Azor q. 8. Laiman. cap. 5. à n. 8. Bonacina disp. cit. q. 3. p. 2. §. 1. & 2. Qui ceterique Morales IT. aliorum, Divini officii recitatione spectantium, latam & accuratam explicationem dabunt.

ARTICULUS IV.

De Missarum & Officiorum Divinorum Reductione.

SUMMARIUM.

- 69. Pro his assignati reditus sepe deficiunt vel minuuntur.
- 70. Si deficiant, Missæ celebrandi obligatio cessat.
- 71. Si minuantur, ad minorem numerum Missæ veteri,
- 72. Et novissimò jure etiam Anniversaria reduci possunt.
- 73. Nisi reditus in alios Ecclesie usus converfi,
- 74. Vel Missæ Ec. in ipso fundationis limine,
- 75. Vel, secundum aliquos, post Tridentinum imposta sint.
- 76. Reductio fieri diversimodè potest.

- 77. Non ab ipsis Monasteriorum Sc. Prælati,
- 78. Saltem extra Capitulum vel Congregationem generalem;
- 79. Sed auctoritate Apostolicâ,
- 80. Vel Episcopali in Synodo diocesana,
- 81. Vel extra hanc, ubi Synodi non habentur,
- 82. Saltem ante S. Congreg. Cardd. Interpp. decretum;
- 83. Quod tamen non ubique receptum usque;
- 84. Quò decreto illi derogari potest.

69. IN Ecclesiis, tam Secularibus quam Regularibus, aliquando institutæ & in tabulis adnotatæ reperiuntur Missæ & Officia divina, annuatim, singulis mensibus, vel hebdomadis celebranda pro fundatorib⁹ & benefactoribus defunctis: à quorum tamen multis, an & quid pro illorum celebratione relicta sit, & aliquid percipiatur, planè ignoratur. Ab aliis relicta temporum & belli præsertim injuriis omnino vel ex parte interciderunt. A nonnullis relicta hodie adeo tenuia sunt; ut nulla Ecclesia sit, quæ eorum intuitu Anniversaria aliâsque Missas & Officia divina præscripta celebrandi onus valeat aut velit subire. Unde Dubium ingens & quæstio hodie non infrequens est, an & quanam ejusmodi Missæ & Officia divina ad minorem numerum valeant reduci. Et quidem, si pro quorundam celebratione relicta nullâ ipsius Ecclesie vel Monasterii, sive Prælati & Capituli seu conventus culpa, ex toto periisse, aut ea ablata aut aliò aversa esse; ac proinde illorum intuitu nihil percipi, certò constaret, eorum celebrandorum onere Ecclesiam vel Monasterium liberatum, ut Missæ, Anniversaria &c. omitti possint, cum Riccio Prax. p. 3. resol. 364. docent Bordonus Consil. p. 1. resol. 25.

resol. 25. Pellizarius Tom. 2. Manual. Regul. Tract. 6. cap. 3. n. 46. & Donatus Tom. 3. Prax. Regul. tract. 7. q. 60. n. 1. quod beneficium detur propter officium, c. fin. de Rescript. in 6. atque idcirco, cessante beneficio, æquum sit; ut & officium cesset, arg. c. Cum cessante 60. de Appellat. & c. Propter sterilitatem 3. pr. de Locato.

An, quando de relictorum totali interitu non constat: sed ea cum tempore solummodo diminuta, tenuia & ad Anniversariorum ac Missarum justam celebrationem insufficientia sunt, ista quoque minui & ad minorem numerum reduci valeant, dubitandi ratio est; quod defunctorum ultimæ voluntates, quamdiu possunt, ad amissum debeant observari, præsertim illæ, quarum observantiam hæres aut legatarius in se recepit, can. Ultima, 13. q. 2. c. 1. & c. Qualiter 3. de Pactu.

71. Sed, sicut hoc verissimum est, si res in eodem statu permaneat, sic locum non habet casu, quod rerum statu & circumstantiis mutatis, pro earum impletione relicta, cum tempore diminuta, valde tenuia, & insufficientia sunt; tali enim casu Anniversaria & Missas diminui, sive ad minorem numerum reduci posse, indubitatè supponitur Clement. 2. de Relig. domib. & à S. Synodo Trident. Sess. 22. cap. 6. de Reformat. ubi præscribitur observanda in commutationibus ultimarum voluntatum, quarum ejusmodi reductio species quædam est: & præter-

72. tim Sess. 25. cap. 4. de Reformat. quò S. Concilii decretò Imprimis ultimâ voluntate aut etiam inter vivos donatione pro Missarum celebratione relicta, cum ad fidelium ea relinquendum intentionem implendam non sufficiunt, commutandi & Missas ad minorem numerum reducendi facultatem à S. Synodo concessam,

DD. qui cap. 4. cit. explicationem aliquam dederunt, omnes observant. Deinde, licet cap. cit. expressa mentio Missarum duntaxat fiat, harum tamen nomine etiam Anniversaria sive Sacrificia aliæque Officia divina, pro benefactorum defunctorum animabus annuatim perfolvenda intelligi, à S. Congreg. Card. Interpp. 16. Novemb. 1583. declaratum est apud Garciam p. 7. de Benef. cap. 1. n. 131. Quarantam in Summa Bullar. 7. Missa, & Jordanum Lucubrat. col. 1. lib. 4. tit. 1. n. 577. ut adeò, justis causisistente, non solum Missarum, sed ipsorum etiam Anniversariorum ad minorem numerum reductio vigore cap. 4. cit. fieri possit, ut cum Moneta de Commutat. ult. volum. cap. 5. n. 367. id ab Episcopis, à scientia & conscientia singulari commendatis, passim observari præsertim, advertunt Barbosa de Off. Episc. de leg. 29. n. 4. & Gobat Experient. Theolog. Tract. 3. n. 589.

Ratio autem, sicut Missarum, sic & Anniversariorum reductionem talis permittendi, justissima fuit ratio; quòd, sicut beneficium propter officium datur, sic proventus illi à defunctis benefactoribus relicti sint ad Anniversaria & Missas. Unde, sicut beneficium cessante officio, & proventus illis omnino deficientibus, Anniversaria & Missas, præta dicta, omnino intermitti, sic proventus illis cum tempore diminuti & ad eam tenuitatem redactis; ut ad Anniversariorum & Missarum justam celebrationem insufficientia sint, illa quoque diminui & ad minorem numerum reduci permittit æquitas & ratio naturalis; quò idem juris est de parte quoad partem, quod de toto quoad totum, l. Quæ de tota 76. pr. ff. de R. V. cum pars ejusdem naturæ & qualitatis sit, cujus est ipsum totum, l. Si grege 22. ff. de Leg. 1. c. 1.

gat. 1. partim verò; quòd mens testatorum aliorumque benefactorum defunctorum, à quibus proventus illi relictus sunt, non alia fuisse videatur, quàm; ut Anniversaria & Missæ juxta ipsorum præscriptum celebrentur, quamdiu rerum status & circumstantiæ non mutantur, & ad ea relictus proventus percipiuntur, & sunt sufficientes; ne Ecclesia eis; servientes clerici ac Religiosi indebitè graventur.

Quantumvis autem, cum proventus valde tenues & insufficientes evaserunt, Missarum & Officiorum divinorum reductionem ac diminutionem *cap. 4. cit.* permissam, nemo facile in dubium vocet, *cit.* tamen, aliique DD. passim monent, non indiscriminatim omnium Anniversariorum ac Missarum reductionem eò à S. Synodo permissam; ideòque ab iis

73. Excipiuntur primò, & ad minorem numerum reductionem non admittunt Anniversaria, Missæ, aliq; onera & obligationes, pro quibus subeundis Ecclesiæ relicta sunt bona immobilia, annuos fructus vel census producentia, vel pro hujusmodi bonis cõemendis certa & sufficiens summa pecuniæ data: si ista à Prælato cum Capituli seu conventus sui consensu in Ecclesiæ vel Monasterii usus alios conversa, vel illa distracta sunt, & pretium in Ecclesiæ vel Monasterii utilitatem impensum; quia, illa pro Ecclesiæ vel Monasterii necessitate vel utilitate alienandò & pecuniam expendendò, pro Anniversario perpetuò celebrando necessaria substituendi onus subiisse, Ecclesia ipsa censetur.

74. Excipiuntur secundò Anniversaria, Missæ, aliq; onera & obligationes, Ecclesiis, Monasteriis, Capellis, Altaribus ab eorum fundatoribus impostæ in ipso limite fundationis, partim; quia horum commutatio & reductio à Tridentino *cap. 4. cit.* permisa non est; cum istò

fermo non sit de Missis impostis in Ecclesiæ &c. fundatione: sed solummodo de relictis à testatore vel alio benefactore extra fundationem: partim verò; quia qualitatibus & oneribus in fundatione adjectis & injunctis quacunque dispositione superveniente derogari, Concilium illud disertè vetuit *cit. Sess. 25. cap. 5. pr. de Reformat.* quod à S. Congreg. declaratum, perhibent laudati Garcias *n. 131. Moneta n. 376. & Jordanus n. 580.*

Excipiuntur tertio à multis Anniversaria, Missæ, aliq; onera, ultimâ voluntate aut quavis aliâ dispositione Ecclesiis, Monasteriis, Capellis, Altaribus imposita post Concilium Tridentinum; horum enim reductionem *cit. cap. 4. non permissam*, à S. Congreg. 7. Febr. 1573. declaratum, perhibent Miranda *Tom. 1. Manual. Pralat. q. 4. art. 24. Barbola alleg. cit. n. 5. Diana p. 8. Tract. 4. resol. 2. & alii.* De hac tamen declaratione non satis constare; ideòque, tertiam hanc exceptionem neque certam neque S. Synodi decreto *cap. 4. cit.* conformem esse, disertè pronuntiat Garcias *cit. cap. 1. n. 132.* Gobat autem eam in Germania saltem nostra usu non receptam, ait *Tract. cit. n. 591.*

Dubium secundò est, quomodo ea 76. Anniversariorum, Missarum & Officiorum divinorum reductio fieri queat. Cujus varia, & primò quidem ex jam dictis certa Resolutio est, sine auctoritatis Apostolicæ interventu nihil immutandum: sed, sicut antè, sic in posterum sine ulla diminutione ac reductione celebranda Anniversaria & Missas, pro quibus relicta hodie etiam sufficientia sunt. Deinde ea, pro quibus relicta v.g. quantitas pecuniæ sufficiens versa est in utilitatem Ecclesiæ vel Monasterii, & hoc vel illa pro illarum celebratione necessaria ministrandi onus in se suscepit. De-

Q q q q q . m m m m m

num ea etiam, quæ Ecclesiis &c. imposta fuerunt in ipso limine foundationis.

Secundò aliorum Anniversariorum & Missarum, pro quibus relicta valde tenuia & hodie insufficientia sunt, duo triaue conjungi, aut etiam uni adjungi possunt, ita tamen; ut in Anniversario vel Missa, cui alia accessorie adjuncta sunt, eorum benefactorum, quorum Anniversaria & Missæ aliis adjunctæ sunt, omnium commemoratio fiat, juxta præscriptum S. Synodi *cap. 4. cit. ut ibi Barbosa & alii DD. passim monent.*

Tertiò ejusmodi Anniversariorum aliqua reduci possunt in totidem Missas, vel in unum alterumve Anniversarium singulis mensibus, vel in unam alteramve Missam generalem singulis hebdomadis, v.g. feriâ secundâ pro benefactoribus, pro quibus Anniversaria & Missæ pristina fiebant, celebrandam, ut cum Ugolino *de Offic. Episc. cap. 61. n. 1. docent Moneta cap. 5. cit. n. 367. & Barbosa in cap. 4. cit. n. 4.*

Quartò Anniversaria aliæque Officia divina potius in Missas, quam hæc in Anniversaria aut alia pia opera sunt commutanda, ut salubriter monent *cit. Moneta n. 369. & Fagnanus in c. Ex parte 12. de Constitut. n. 34. asserens, hoc S. Congregat: declaratione approbatum. Ratio est; quia defunctorum animabus in Purgatorio detentis plus profunt sacrificia Missæ, quam alia divina Officia & opera pia; cum suffragia, quæ proveniunt ex virtute Missæ sacrificii & operis operati, multum præponderent eis, quæ proveniunt ex virtute meriti & operis operantis, secundum S. Thomam *in 4. dist. 45. q. 2. questunc. 2. & unanimum doctrinam TT. id desumentium ex can. Utrum 71. dist. 2. de Consec. & Trident. Sess. 25. decreto de Purgatorio, ubi istò detentæ animas potissimum sacrificiis in-**

vari, ait.

Dubium tertio est, an ea reductio fieri queat ab ipsis Ecclesiis & Monasteriorum Prælatibus. Secularibus Episcopis inferioribus, v.g. Ecclesiarum Collegiarum Præpositis aut Decanis, eam potestatem communi Jure non competere, res est satis explorata; quod hæc ipsis non contulerit Jus Decretalium tantum: eorumque S. Synodus Tridentina non meminerit *cap. 4. cit.* quò tamen ea indulta videtur Prælatibus Regularibus: cum eò concessa sit Abbatibus, quibus æquiparantur & parem potestatem in Monasteriis & Ecclesiis suis Jure obveniunt aliarum Congregationum Regularium Prælatis. Sed videtur duntaxat. Rõvera non competit; quia proposita Missas & Anniversaria reducendi potestas à S. Synodo non concessa est quibusvis, sed iis duntaxat Abbatibus & Præpositis, qui in certum & ab Episcopali distinctum territorium & in hoc istas Ecclesias & populum exercent jurisdictionem quasi Episcopalem; quia tales quoad ea, quæ jurisdictionis sunt, Episcopis æquiparantur. Cæteris vero Abbatibus & Ordinibus Generalibus concessa tantum est in Capitulo seu Congregatione generali, ut liquet *ex cap. 4. cit.* quò posterioribus his Abbatibus & Generalibus nova & anteriori Jure non competens facultas indulta & ad Capitulum generale restituta est; ut proinde extra hoc nequeat exerceri, *cit. Garcias n. 128. Moneta cap. 5. n. 366. Miranda art. 24. & Barbosa n. 15.* Ratio est partim; quia Anniversariorum & Missarum reductio specics quædam est commutationis ultimatæ voluntatis, quæ à Prælatibus Regularibus jurisdictionem quasi Episcopalem non obtinentibus, fieri Jure communi non potest, ut *arg. Clement. 2. cit. tradunt Rodriguez Tom. 2. Regular. q. 125. art. 1. & 10.*

77. *10. Sorbus Compend. Privileg. Minor. V. Commutare, & Moneta cap. cit. n. 566.* partim verò; quia Abbates & Prapostiti cum Capituli seu conventus sui consensu Monasteriorum & Ecclesiarum suarum Anniversaria, Missas & Officia divina ad minorem numerum reducendò auctoritatem præstarent in negotio proprio, sive se suamque Ecclesiam & utilitatem concernente: quod Jura specialiter reprobant, *l. 1. l. Pupillus 5. ff. de Aurb. iur. c. fin. de Institur. & Clement. 2. de Reb. Eccles. non alien. ubi Glossa V. Mensa, Panormit. n. 14. & Vivianus in Clem. cit.*

79. Dubium quartò est, quò ergo auctoritate reductio in hujusmodi Ecclesiis extra Capitula seu Congregationes fit faciendà. Apostolicam Anniversariorum & Missarum quarumcunque, etiam in fundationis limine impostarum, reductionem fieri posse, nemo est, qui ambigat; propter plenariam & generalem potestatem de rebus ac bonis, salutem animarum spirituales spectantibus, justà causà subsistente, disponendi, Papæ tanquam Christi Domini in terris Vicario competentem, *can. Cuncta 9. q. 3. c. Licet 2. de Præbend. in 6. & Clement. 2. Ut lite pend.*

80. Ab Episcopis etiam in Synodo diocesana reductionem fieri posse, disertè habetur *cap. 4. cit.* An etiam extra Synodum, dubium reddit Concilium Tridentinum; quòd, dum Missas reducendi potestatem ipsis in Synodo concedit, extra hanc eam ipsis negare censetur; quòd oppositorum unius assumptio alterius exclusio sit, *arg. c. Nonne 5. de Præsumpt. & l. Si inter 15. ff. de Except. rei judic. junctà Glossà in Clement. 2. V. Directè, de Test. & attest.* Et in iis saltem provinciis, in quarum diocesis ejusmodi Synodi annuatim celebrantur, extra has reductionem fieri ab Episcopis

posse; cum Garcia *cit. cap. 1. n. 134.* & alii negant Fagundez *de Præcept. Eccles. Lib. 3. cap. 7. à n. 12.* & Bonacina *de Sacram. disp. 4. q. ult. p. 7. §. 2. n. 9.*

At melius, Missas & Anniversaria etiam extra Synodum reducendi potestatem Episcopis competere, cum Navarro *Manual. cap. 25. n. 138.* defendunt *cit. Miranda art. 24. Barbosa alleg. 29. n. 15. & Palao Tract. 13. disp. 1. p. 6. n. 24.* & alii. Ratio est; quia Episcopis ea potestas non, ut Abbatibus & Ordinum Generalibus, à Tridentino primùm indulta est, sed antiquiori Jure jam competeat, *c. Ex parte 12. de Constitur. & Clement. 2. de Relig. domib.* quibus textibus fundata ea Episcoporum potestas à S. Synodo nec sublata nec restricta: sed solummodo ad majorem Juris observantiam additum est; ut fiat in Synodo diocesana: non; quòd hoc ad reductionis valorem necessarium: sed; quòd utilius ac securius sit. Quæ ratio & doctrina, licet non procederet in provinciis, in quibus S. Synodi decreta, quoad annuam Synodi celebrationem *Sess. 24. cap. 2. de Reformat. præceptam,* usu observantur, locum tamen omnino habet in Germania & provinciis aliis, in quibus ejusmodi Synodi nunquam aut rarissimè habentur. Unde in his eam, de qua sermo est, reductionem ab Episcopis extra Synodum fieri posse, declarat recepta praxis seu Consuetudo apud Gobat *cit. Tract. 3. n. 591.*

Episcopis ita firmatam potestatem ambigam reddit decretum S. Congreg. Card. Interpp. quò ista, auctoritate ab Urbano VIII. specialiter accepta, statuit ac districte venit, *Ne Episcopi non tantum extra, sed in diocesana etiam Synodo, aut Generales in Capitulis generalibus vel aliis quoquo modo reducant onera ultra Missarum celebrandarum aut post idem Concilium*

Q 9992

81.

82.

Concilium imposta aut in limine fundationis: sed pro his omnibus reducendis aut moderandis vel commutandis ad Sedem Apostolicam recurratur, qua, re diligenter perspecta, id statuet, quod magis in domino expedire arbitrabitur: alioquin reductiones, moderaciones & commutationes huiusmodi, si quas contra huius prohibitionis formam fieri contigerit, omnino nullas atque inanes decrevit.

83. Verum decretum hoc ex toto non ubique observari, sed Consuetudine ei alicubi derogatum, cum Garcia cit. p. 7. cap. 1. n. 132. advertit Palao disp. unic. cit. p. 15. n. 4. eique contrariam Germaniæ nostræ praxin esse, observat Gobat cit. n. 591. ubi inter facultates, quas Vicariis suis generalibus Episcopis Con-

stantiensis concedit ex *Consuet. Synodal. p. 1. tit. 9. n. 21.* eam refert, in *Amis. versariis vel beneficiorum fundationibus Missarum vel etiam prebendarum numerum augendi vel minuendi.*

Huiusmodi autem contrarietas præi seu Consuetudine quadraginta, arg. c. De quarta 4. & c. ad aures 6. de Prescript. imò decem duntaxat annis sine interruptione continuatâ, sicut Legibus Ecclesiasticis aliis, sic etiam cap. 4. cit. decreto istiusque declarationibus derogari posse, arg. can. Consuetudinis 4. disp. 11. c. fin. de Consuetud. & l. Dinturno 33. ff. de LL. cum Malcardo de Probat. conclus. 424. à n. 24. & aliis defendunt Suarez Lib. 7. de LL. cap. 8. n. 7. & Card. de Lugo disp. 7. de l. & l. f. 6. n. 54.



TITULUS XLII.

De Baptismo & ejus Effectu.

SUMMARIUM.

- | | |
|---|---|
| 1. Notatio & definitio Baptismi. | 10. Eamque aliquando approbationem |
| 2. Materia ejus Remota est aqua naturalis, apta ad abluendum. | 11. Et sub conditione repetendum, assensuum verior Opini. |
| 3. Proxima ipsa per aquam ablutio: | 12. Forma consistit in verbis, aliter in Latina, |
| 4. Quâ trinitâ vel unicâ duntaxat, | 13. Aliter, eodem tamen sensu, in Græca Ecclesia prolata. |
| 5. Et quâvis parte corporis factâ Baptismus validè confertur: | 14. Eâ exprimentâ sunt persona & status baptizantis, |
| 6. Dummodo facta sit tacitè successivè. | 15. Persona baptizati, |
| 7. In aquam projecto infanti Baptismus validè confertur. | 16. Et invocatio Dei Unius ac Trinitatis |
| 8. In eam licitè non projicitur. | 17. Hujus expressionem de Baptismi substantia esse negantium, |
| 9. Ejus collationem per aquam in uterum immisam simpliciter damnantium, | 18. Verâque id asserentium, |
| | 19. Et verba in quavis lingua omnibus aequè nota exigentium, Opini. |
| | 20. Bapti. |